IACOBI BORNITII IVRISCONSVLTI
ÆRARIVM,
siue
TRACTATVS POLITICVS
DE

Ærario { Sacro, Ciuili, Militari } { Communi & Sacratiori, }

EX

REDITIBVS PVBLICIS: TVM VECTIGALIBVS & Collationibus singulorum Ordinariis & Extraordinariis conficiendo,

X. libris summatim & breuiter comprehensus.

In tributis esse Reip. neruos nemini dubium est. Vlpian. l. 1. §. 20. ff. de quæstion.



FRANCOFVRTI,
Typis MATTHIÆ BECKERI, Impensis Godefridi Tampachii.
M. DC. XII.

Ertarum Camaldulens. [illegible] Romualdi. Ex legato M. R.
D. Feliciani de Smogorzow Wysocicz Capnei Narevens.

ILLVSTRIBVS, GENEROSIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ET PRVDENTISSIMIS

PRÆSIDIBVS, PRÆFECTIS,

CONSILIARIIS ET MODERATORIBVS

Ærarij Fiſcique

IMPERATORIS, REGVM, PRINCIPVM ET CIVITATIVM:

Quibus Nerui Publici cordi & curæ.

QVIPPE,

QVOD IN ILLIS POTENTIÆ, DIGNITATIS & Authoritatis, adeoque Salutis publicæ, poſt Religionis & Iuſtitiæ fulcra, maxima vis contineatur.

Hoſce de modis mediiſque Prudentiæ ductu conficiendi Ærarij libros

Debita animi ſubmiſſione & obſeruantia dedicat, eorumque cenſuræ & Patrocinio ſubijcit

Cæſar. & Regiæ Maieſtatis Conſil. Fiſciq; Regii per Luſatiam ſuperiorem Patronus

IACOBVS BORNITIVS

Torgenſis Miſnicus.

):(2

Admonitio ad Lectorem.

EN Amice Lector, fidem promissam soluo de Ærario: quod boni publici, non affectus aut lucri priuati causa editũ certo tibi persuadeas: Quod vidi, hoc argumentum methodice & seorsim nondum fuisse tractatum, quanquã quam plurima fuerint, quæ me à publicatione huius tractatus dehortari potuißent. Etenim primum præiudicium istorum non effugiam, qui me insimulabunt, quod cuiq; malo exemplo modos, etiã illicitos ærarij ditãdi prodiderim, qui tantum præfectis & fisci patronis noti esse debebant, qui ad vsum Reip. ijsdem prudẽter vterentur. Cæteri quibus auaritia & studio nouarũ rerum adulationisq; pruritu præcordia æstuant, facile exinde ansam arriperent hisce modis abutendi, suis Principibus clam insusurrando, speciose suadendo, & falso imponendo, vt fisci gratia varias technas corradendi pecuniam & populum emungendi affectent, imitentur aut adinueniant. Qua ratione quidem libido Principum exsatietur, & potẽtia status, quæ in nummis cõsistere putatur, eleuetur: sed (quod dolendum) populi sufficientia cum detrimento Reip. valde eneruetur. Omnes enim homines pecuniarum cupiditate, nedum Principes laborare, & assidua pernoctiq; cura in id vigilare videris, vt suam crumenam & fiscum locupletent. Qui dubitat, Hispaniæ, Italiæ, Galliæ & Belgij fines percurrat, obiter dubitare desinet. Quid enim

------- non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames!
Mille artes & mille dolos per fasque nefasque
Inuenit, vt loculos quisque suos cumulet.

Alij forsitan contra mecum expostulabunt, quod hunc & illum modum non plenius diduxerim: sed generatim tantum attigerim. Ec-

quis enim vsus generalium, nisi partibus & exemplis illustrentur, & digito monstrentur? Satius forte fuisse videretur aliis, si reditus regnorum, principatuum & rerump. recensuissem, ex quibus vnusquisque, quod conueniens suæ Reip. deligere potuisset. Quid? quod multi modi ærarij conficiendi cum naturali æquitate pugnare videantur? Quamplurimi in hac Rep. non in illa locum habere possint? Et quod denique methodum attinet, nec illa omnibus numeris absoluta, nec omnes modos complexa appareat?

Verum propositum & studium meum si quis rectis oculis inspexerit, longe aliam de eo censuram faciet. Namque ante extitere etiam alij, qui in hoc argumento aliquid literis prodiderunt, eo fine; vt indicarent, quib. modis Princeps vel Resp. neruos rerum agendarum, id est, nummos colligere, & in vsus publicos reseruare & expendere debeat, sine quibus Resp. nullo modo cõsistere potest. Quod vero quibusdam ex illorum numero abusi fuerint, certe non scriptorum intentioni, sed malitiæ & auaritiæ hominum imputandum erit. Ecquis enim ex abusu εὐπραξίαν *artium & literarum damnabit? Cum nihil tam fructuosum & salutare, quin libidine & peruersitate ingeniorũ in abusus cõuertatur. Modi hic innuuntur, quibus Principes ærariũ suũ fundare possint: sed non promiscue, verum ductu Iustitiæ & Prudẽtiæ, quatenus cũ æquo & bono, adeoq; salute publica pro ratione & varietate circumstantiarum conueniant. Ideoque discrimen accurate attendi oportet, ne illicita fisci compendia & media cum licitis, nec extraordinaria cum ordinariis temere auaritiæ causa confundantur. Sed iniqua ab æquis separentur, & sua cuiq; tempori libero vel non libero tribuantur. Quo fiet, vt omnes modi æquitate innitantur, & cum salute populi, quæ suprema lex est, perpetuo conspirent. Quod si secus fiat, non potest non fieri ab æquitatis norma & salutis fine enormis exorbitantia, quæ non authori, sed abutenti adscribenda. Nec nostra mens est omnes*

modos

modos probare, nisi cum Iustitia coniuncti sint. Qui varias stropbas aucupandi pecunias excogitant, & Principibus propinant, Quadruplatores isti viderint, quî rationem suæ villicationis reddant. Nostrum sit Tiberianum illud: Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. Et scripsimus eo fine, vt ob oculos poneremus modos licitos, quibus tuto vtendum: illicitos vero reprobaremus & dissuaderemus. Deinde animus fuit summatim & breuiter tantum hoc argumentũ pertractare. Satis .n. esse arbitror viro bono & prudenti summo indice indicaße, quid quisq; modus in recessu habeat, & quomodo suo tempore & loco ad vsum transferri queat. Nec vbi opus fuit, exempla intermißa. Rerumpubl. autem singularum media enumerare historice, nec nostri instituti est, nec tutũ & consultum. Interim non deerunt alij, qui speciatim modos quorundam principatuum congeßere. Satis enim nobis est, filo & stilo politico hanc materiam, quæ non minima, sed potißima & necessaria pars Reip. est, pertexere: vti etiam in aliis argumentis politicis periculum fecimus: vt Politices studioso fundamenta & causæ innotescerent, quibus Ærarium in statibus Rerumpublicarum, Prudentiæ tamen ductu, fundari & stabiliri possit. Quod si modi illi inter sese inuicem recte discernantur & accommodentur, nulla iniquitas inesse deprehendetur. Quod enim extra ordinem tempore necessitatis faciendum, ipsa necessitas excusat, & æquum reddit ex illo, quod iniquum videtur. Quippe, quod salus publica id communi vtilitati repenset. Nec dubium est, quin in ampla Republica siue regno plerique modi ad ærarij emolumentum vsurpari possint, licet vniuersi & singuli in ciuitatibus vel oppidis inferioribus, quibus arcam communẽ habere licet, ad exemplum ditißimi & potentißimi Imperij, non frequententur. Cum multa in magna Rep. vsum habeant, quæ in parua minus accõmodari possunt. Nec semper eadem sit ratio partis, quæ totius. Obseruatio & methodus, qua

hæc

hæc media politica digeſſimus, noſtra eſt, &, vt opinor, naturæ rei non inconueniens. Nec enim reditus aliunde, quam ex rebus vel à perſonis exigere poteſt in Rep. Quarum intuitu hæc compendia in publica & priuata: imperata & ſpontanea, licita & illicita diſtinximus, & vſque ad finem perduximus, diſcrimine ærarij triplicis ſubiecto. Nec inſtituti noſtri ratio fuit ſingularia quæque adferre, quæ ſub artem non cadunt: ſed generaliſſima capita tantum ordine quodam ſuggerere & congerere, vt qui modos ærarij in ſua Rep. fundanda vel fundata indagare deſideret, veluti ex ſynopſi ſingulorum capitum facile colligere: & ſi quæ ſpecialia in Hiſtoria vel vſu occurrant, ad ſuas ſedes appoſite referre & annotare poſſit. Variant enim Reſp. modique ærarii earundem, proinde certa regula comprehendi non poſſunt: attamen nihilominus veluti exempla ſpecialiſſima ad ſuos locos communes accommodari poſſunt. Qua de cauſa etiam hunc tractatum in aliquot libellos diſpartiri libitum eſt. Hæc habes Lector, quæ præmonenda cenſui. Hiſce vtere & fruere mecum, donec meliora inueneris, & mecum quoque communicaueris. De fine, vtilitate & neceſſitate huius operis non opus eſt, vt aliquid præmittam, elucebit illa ex re ipſa, & forte primo capite, quo te remiſſum velim: vt vero præſentias, quid tibi expectandum ex perlectione, prius quæſo tabulam præfixam inſpice & præmeditare. Vale. Dabam Budiſſinæ Kalendis Januarij, Anno M. DC. XI.

ÆRA-

ÆRARIUM
Ex
PUBLICIS AC PRIVATIS COMPENDIIS
Typo delineatum.

In Ærario conficiendo sunt consideranda
- *Modi & Causæ siue Media, quibus conficitur, nimirum Compendiis & reditibus*
  - *Publicis, qui ex patrimonio iureq; publico deriuātur, suntque vel*
    - *Certi, qui certi & stati esse possunt*
      - *perpetuo*
        - *Ordinarij reditus publici.* A.
      - *ad tempus & necessitate vrgente.*
        - *Extraordinarij publici reditus.* B.
    - *Fortuiti & Incidentes, qui iure publico, ærario & fisco competunt, tanquam ex Rep. profecti.* C.
  - *Priuatis* D.
- *Species* L.

A.
Reditus Ordinarij ex patrimonio & bonis publicis proueniunt ex

- I.
  - *1. Agris, pascuis, vineis, oliuetis, hortis, syluis publ.*
  - *2. Venat. Aucup. Piscin. public. reditibus.*
  - *3. Metallis, Salinis, Lapidicinis.*
- II. *Solo & ædibus publicis, vsibus singulorum inseruientibus.*
- III. *Vsuris publicis & Monte pietatis.*

B.
Extraordinarij reditus publici promuntur ex

- I. *Opificiis publicis singularibus, sublimioribus & difficilioribus. —— Ferrariis, Molendinis,* Mühlen/ Kupfferhämmer/ Glaßhütten/ *item* Zuchthauß/ Ziegelöffen.
- II. *Mercatura publica, maritima inprimis, & Monopoliis, Vini, piperis, salis, purpuræ, &c. publicis.*
- III. *Olla fortunæ publica.*
- IV. *Alchimia.*
- V. *Dignitatum, priuilegiorum, officiorum venditione.*
- VI. *Feudorum venditione.*
- VII. *Bonorum publicorum, puta supellectilis aureæ, argenteæ, alienatione.*
- IIX. *Rerum & terrarum regni alienatione, aut saltem oppignoratione.*
- IX. *Rerum sacrarum profanatione.*

Casu

C.
Casu incidentes & fortuiti reditus publici sunt ex

1. Bonis vacantibus.
2. Feudis caducis, ob defectum successorum, aut feloniam Lehensfelligkeit/ aut loco caducitatis à ciuitatibus lytro soluto, item Laudemio.
3. Rebus in commissum cadentibus, so den Zoll verfahren.
4. Bonis, quæ indignis auferuntur.
5. Bonis damnatorum & proscriptorum.
6. Bonis contrahentium incestas nuptias.
7. Bonis committentium crimen læsæ Maiestatis.
8. Thesauris in loco publico inuentis, vel ex participatione thesauri.
9. Spoliis hostium & captiuorum lytris.
10. Deuictorum pensionibus.
11. Sociorum contributionibus.
12. Principum aliorum donationibus & honorariis: quæ etiam ad modos spontaneos referuntur.

D. Deinde conficitur ærarium compendiis & collationibus priuatis, vel

- Impositis ab iis, qui ius habent imponendi, id est, vectigali-bus, in quibus
  - I. Generatim.
    - 1. Causa iusta
      - Vera & aperta plerumque,
      - Occulta & arcana interdum.
      - Hinc de arcanis vectigalium discursus.
    - 2. Subiectum
      - Persona
      - Res
      - vtriusque immunitas.
    - 3. Modus, Æquus.
    - 4. Census
      - Personarum & Rerum inprimis.
  - II. Speciatim.
    - Species & modi vectigalium priuatorum. E.
- Voluntariis, id est, Largitionibus K.

E. Vectigalia sunt

- Licita quæ iusta
  - Vera
    - Vtraque vel
      - Ordinaria ex
        - Persona singulari ob
          - transitum vel traiectum: Inde
            - Portarium,
            - Portorium,
            - Ripatica.
          - vitia & delicta psonarum: Inde
            - Mulctarum pœnarumque compendia.
          - Ius personæ, puta, Ciuitatis, Migrationis, Bürgerrecht/ Anfahrt- vnnd Abfahrtgeldt.
        - Rebus singulorum. F.
      - Extraordinaria. G.
  - Quasi. H.
- Contra quæ iniusta & iniqua Causa & Modo. Illicita. I.

Vectigal

F.
Vectigal ex rebus priuatorũ ciuium aut peregrinorum: Quod ex

- I.
  - Fundis
    - agris, pascuis, piscationibus.
    - metallis priuatorum.
    - Salinis.
  - Ædibus, molendinis, &c.
- II. Opificiorum & Artificiorum collegiis, aut iis, qui Ius opificij primum obtinent, & aliis artibus, quibus homines quæstum faciunt, Aurig. Colleg. Solu. Brandtweinbrenner.
- III. Rebus venalibus
  - 1. fundis & ædificiis, Vnbeweglichen Gründen / vulgo Abzug.
  - 2. Mercibus inuectis & euectis, Kauffmañsgut. Inde telonium, Zoll / tam mari, quam terra.
  - 3. Item omnibus, quæ post venales habentur, Cramerwahren.
- IV. Transitu iumentorum, equorum, &c. qui
  - merces transuehunt,
  - aliâs transeunt.
- V. Hereditatibus, item Legatis, Dotibus & Donationibus aliorsum extra territorium exportandis.

G.
Extraordinaria vectigalia sunt, quæ necessitatis causa extra ordinem ad tempus imponuntur, vbi

- Causæ vrgentes
- Modi & species ratione
  - Personarum
    - Capitatio,
    - Hospitatio.
  - Rerum
    - Iugatio,
    - Collectatio, quæ ordinariæ collationis species imitatur.
    - Conflatio supellectilis aureæ, argenteæ.
    - Nummorum
      - decrementum,
      - incrementum,
      - mutatio.

H.
Quasi vectigal est

- I. *Mutuum*
  - *A pupillis.*
  - *Ab Officialibus, loco cautionis, Verstande.*
  - *A Peregrinis, vnde de Mensis argentariis discursus.*
- II. *Ademptio rerum priuatarum, postea pretio redimendarum.*

I.
Illicita sunt

- I. *Causa*
  - 1. *Iniusta*
    - *Personarum*
      - *Meretricum.*
      - *Mendicorum.*
      - *Pyratarum.*
      - *Astrologorum.*
      - *Iudæorum & fœneratorum.*
      - *Natorum.*
      - *Mortuorum, &c.*
    - *Rerum*
      - *Vrinæ,*
      - *Vmbræ,*
      - *Niuis,*
      - *Inuentarum,*
      - *in mari eiectarum,*
      - *Fimi,*
      - *Canum, &c.*
  - 2. *Falsa & simulata, puta ob crimen intentatum, &c.*
- II. *Modo iniquo.*

Volunta-

K.

Voluntariæ Collationes sunt singulorum ciuium aut exterorum

- *Largitiones vbi*
  - *1. Causæ προκαταρκτικαί.*
  - *2. Species*
    - *Testamentaria institutio heredis.*
    - *Legata, fideicommissa.*
    - *Donationes Principi aut Reipub licæ factæ.*

L.

Species & Ordines Ærarij: Quod

- *Publicum*
  - *1. Sacrum, vbi singulatim de*
    - *Eleemosynis,*
    - *Decimis,*
    - *Primitiis, &c.*
  - *Profanum*
    - *2. Ciuile.*
    - *3. Militare.*
- *Priuatum siue Fiscus & Domanium Principis.*

Vnumquodque & publicum & priuatum est vel

- *Commune, quod ordinariis destinatum expensis.*
- *Sacratius, quo thesauri reconduntur, & extraordinariis reseruantur impendiis.*

D. O. M. A.

LIBER PRIMVS

DE ÆRARII REDITIBVS PVBLICIS ORDINARIIS.

Capvt I.

QVID ÆRARIVM, QVI FINIS, VSVS ET NEcessitas eius in quauis Rep. & à quo constituatur.

AErarivm Reip. est, quod constat pecunia publica.

Pecunia publica est sufficientia quædam nummorum in patrimonio Reip. ad vsum publicum collecta. Vsum intellige pacis & belli. Quandoquidem pecunia publica salus reip necessario sustentari debet. Quod constituitur autoritate Principis, populi, aut Optimatium, modis publicis & priuatis legitimis, ad cuius exemplum & ciuitatibus licet arcam communem habere.

REmp. quidem in vnione imperantium & obsequentium consistere, & tandiu saluam fore, quandiu Harmonia imperantium & obsequentium salua fuerit, bellum externum & internum, quod vinculum imperij & obsequij violat, & sæpenumero disrumpit, euincit. Quid autem rerum sufficientia aut copia ad connexum animorum faciat? cum & exercitus rebus plane destitutos obsequiosos & constantes permansisse constet, & ciuitates fame extrema laborantes, rerumque penuria ferme exhaustas hominum multitudine, virtute imperij & obedientiæ saluas durasse. Vnde Remp. aut ciuitatem non in mœnibus consistere, sed in iure, politice & vere dicitur. Quemadmodum vero animi & corporis vnione homo est & existit: alimentis tamen conseruari debet: Ita quoque resp. rebus necessariis sustinenda est, quarum quædam natura, quædam lege constant, & vices rerum naturalium subeunt, Nummorumq; nomine indigitantur.

Quorum vis tanta eſt, vt neque ſine naturalibus, neq; naturales ſine illis reip. ſufficiant. Quibus Reſp. deſtituta conſenſu Politicorum imperfecta, & experientia teſte, imbecilla & impotens eſt, quippe neruis ſuis priuata. Quapropter prudentes Principes & politici ſemper de pecunia publica colligenda, atque Ærario communi parando ſoliciti fuere. Vti enim Reſp. rerum priuatarum & publicarum differentia continetur, ſine quibus non Reſpublica, ſed priuata eſſet: Ita quoq; Pecuniæ ſiue Nummorum diſcrimen ſemper inſtituit & conſeruauit à pecuniis ſingulorum: cum his ſalus priuatorum, at illis vniuerſorum ciuium promoueatur & ſuſtentetur, tam pacis, quam belli tempore; vtrumque enim publicos ſumtus deſiderat. Vnde ærarium publicum non inconcinne deſcribi videtur, quo pecunia publica continetur. Eſt enim Ærarium dictum ab ære, quo olim omne genus nummorum ſignificabatur, *l. 159. de V. S.* propterea quod veteres primum æreis nummis vſi. Plin. *lib.* 18. *cap. 3. & lib. 33. c. 3.* Vnde æs alienum habere dicitur, Senecæ *lib. 5. de benefic. c. 14.* & qui corium forma publica percuſſum habet, *l. 23. §. pen. de V. S.* Lucret.

Nunc iacet æs, aurum ſummo ſucceſſit honore.

Et Ouid. in Faſt.

Æra dabant olim, melius nunc nomen in auro eſt,
Victaque conceſſit priſca moneta nouæ.

Quod Arcam notare videtur, *arg. l. 1. §. 1. quod cuiuſque vniuerſ.* vbi dicitur. [*Quibus permiſſum eſt, corpus habere collegij, ſocietatis, ſiue cuiuſque alterius eorum nomine: proprium eſt ad exemplum Reip. habere res communes, Arcam communem.*] Quanquam Arcam in rebus ſacris non ærarium dictum fuiſſe obſeruet Chriſtoph. Coler. *in parerg. cap. 28.* Eodem ſignificatu interdum Fiſcus vſurpatus. Alias proprie Ærarium populi Romani eſt: Fiſcus Principis, quod ex Plinij *loco ad Traianum* patet: [*Non eadem ſeueritate fiſcum, qua ærarium cohibes.*] Differentiam inter ærarium & fiſcum Fr. Hotoman. *in commentario verborum iuris*, accuratiſſime quoque notauit. Item Caſſanæus *p. 7. conſid. 35. de glor. mund.* Sit ergo ærarium arca communis, qua reip. pecunia ſiue nummi publici ad vſus publicos deſtinati reſeruantur. Interdum vero tropice pro ipſa pecunia ſumitur. Pecunia vero hic ſignificat nummos, ſeu pecuniam numeratam & ſignatam compendiis publicis & priuatis collectam, ad vſus publicos. Etenim ratio pacis & belli ſumtus exigit publicos, ſine quibus nihil agi poteſt, quorum cura ſumma eſſe debet Principi, ſi ſeipſum & remp. conſeruare & tueri velit, ad exemplum Cæſaris, de quo Dio *lib. 42.* [*Fuit Cæſar diligens in pecuniis faciendis: Quippe potentiam duabus rebus, Pecunia ſcilicet & Militibus, parari, conſeruari atque augeri dicebat, eoque ſeſe mutuo conſequi exercitum commeatu detineri, rurſum commeatum armis comparari, idq; non tantum dicebat, ſed etiam ſentiebat.*] Cuius neceſſitatem tam res ipſa, quam ſententiæ & teſtimonia principum, aliorumque comprobant. Ariſt. *lib. 7. polit. cap. 8.* [τοὺς γὰρ κοινωνοῦντας ἔτι χρημάτων τινὰ εὐπορίαν, ὅπως ἔχωσι καὶ πρὸς πολεμικάς: *Opus eſt Reip. aliqua vi pecuniæ & copia tum ad vſum domeſticum atque vrbanum, tum ad ſumtum rei militaris.*] Demoſth. [δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστι γίνεσθαι τῶν δεόντων: *Pecunia opus eſt omnino, & ſine ea nihil recte agi poteſt.*] Pecunias neruos ciuitatis eſſe Vlpianus teſtatur *l. 1. §. in cauſa D. de quæſt.*

M. Tull.

M. Tull. *in orat. pro L. Manil.* Sic *in orat. contra Rullum* agrum publicum, fundum pulcerrimum populi Romani & fundamentum vectigalium vocat. Cui Imperator *in N. 189. cap. 2. N. 161. cap. 2.* adstipulatur, latius necessitatem diducens. Et Leo Imperator N. *149. c. 2.* [*Pecuniarum vim rempubl. stabilire.*] Qua de causa Mucianus ab initio imperij Vespasiani vndique quam maximam poterat in ærarium referebat pecuniam, dicebatque semper, Pecunias neruos esse Principatus, Dione referente *in Vespasiano* Et Tacit. *lib. 13. annal.* [*Imperium dissoluitur, si fructus quibus sustinetur resp. diminuuntur.*] Et Symmach. lib. 10. epist. 50. [*Cessantibus subsidiis necessaria deseruntur.*] [*Impossibile enim est,* inquit Iustinianus, *vt sacris tributis non illatis resp. conseruetur.*] *d. n. 189. cap. 2.* [*Militares namque copiæ assignato sibi salario inde percepto hostibus resistunt, & collatores ab hostium incursionibus truculentiaque vindicant. Denique agros atque ciuitates à latronum alioque modo incompositam vitam sectantium vi & irruptione agendis excubiis defendunt. Muri atque vrbes instaurantur, & similia in bonum ciuium fiunt, &c.*] *& n. 161.* [*Omnia alia inde proueniunt, quæ communem subditorum vtilitatem concernunt.*] Propterea cum Nero initio sui principatus omne genus vectigalium populo adimere vellet, prudentiores id vetuerunt, quod dicerent, id publicæ obfuturum vtilitati. Sueton. *in Neron.* Tacit. *13. Annal.* Ex quo liquet, quam insulsum sit Machiauelli κενόδοξον pecuniam non esse neruum belli *in disput. Liuian. lib. 2. c. 10.* quem sequitur Achilles Tarduccius *in discurs. de Turca vincendo p. 1. pag. mihi 74.* Quos refellit Cosimus Bartoli discursu & Girolanus Trachetta *lib. 2.* in principe. Boterus *dell' agilita delle forze lib. 1. cap. del denaio.* Scipio Ammiratus *discurs. 9. lib. 18. in Cornel. Tacit.* Waremund ab Ehrenberg *cap. 2. de fœder. p. 169.* quorum rationes assumit Elias Reusnerus Historiographus *lib. 1. stratagemat. cap. 19. pag. mihi 98.* Putat enim valde inepte, quoad militem mercenarium, nummum esse neruum rerum gerendarum, non quoad proprium; Quod hodie proprius non militat extra regionem gratis. Demosth. *in Olynth. Philipp. 1.* Bodin. *pag. 1028. de rep.* Et res ipsa documento est hodie Principes & duces belli sine hisce neruis ambulare & progredi non posse. Der Soldat will haben sein Sold/an Silber oder Goldt. Principes itaq; siue resp. ius ærarij publici conficiendi habent, non tantum ex publicis reditibus: sed etiam & inprimis ex collationibus & tributis singulorum. Nam tributum Cæsari & Principi soluendum esse ob conscientiam & pœnam euitandam, Paulus monet: Quod ius habent à Deo & populo concessum vna cum imperio; propterea quod absq; subsidiis ordinariis & extraordinariis sustentari non potest. Quod vel principibus inferioribus, vel magistratibus concedi solet in suis territoriis, modo certo & lege. Dd. *in c. 1. quæ sint regalia.* Adeo vt ius vectigalium in alium locum sine principis assensu non transferre liceat. *arg. l. vectigalia. de publican.* P. Frider. Mindan. *de process. Camer. lib. 2. c. 42. n. 4. & 5.* Sed videant Principes, ne hoc iure abutantur, & populi sanguinem sugant, & tyrannidis macula contaminentur. Andr. Friccius lib. 3, cap. 13. de emend. rep.

CAPVT II.

DE MODIS, MEDIISQ. FVNDANDI ÆRArium: Et qui ſint potiſſimum ordinarij reditus publici.

PORRO ærarium in Rep fundatur modis mediiſque Publicis & Priuatis. Publici modi ſunt, qui à reditibus publicis dependent. Qui vel certi & ſtati eſſe poſſunt: Et hi Ordinarij, vel Extraordinarij: vel Fortuiti & Incidentes. Ordinarij reditus publici depromuntur inprimis 1. ex Fundis 2. Venatione. 3. Metallis. 4. Solo. 5. Structuris publicis. 6. Denique vſuris publicis. Priuati collationibus priuatorum, ciuium vel peregrinorum inferuntur.

EST enim Ærarium fundandum & conſtituendum modis legitimis, qui vel Publici ſunt, vel Priuati. Siquidem nullum tertium in rep. Nam perſonæ vel ſunt publicæ vel priuatæ: Ita & patrimonium duplex rerum vel populi vel ſingulorum. Quocirca harum cauſarum ratione, ex quibus compendia ærarij proficiſcuntur, conſtituendi quoque ſunt modi ærarij Publici & priuati, qui vniti & ſeſe adiuuantes inuicem non poſſunt non conficere pecuniam publicam. Nam quælibet reſp. aut principatus habet ſuas res publicas, puta agros, paſcua, ſyluas, &c. ſine quibus diu ſubſiſtere non poteſt, ex quibus colligit annuos reditus, qui poſtmodum ærario ad expenſas publicas inferendi. Dicuntur autem hic reditus publici ſpeciatim fructus, quos ex ſuis bonis Reſp. capit; cum alias Redituum vocabulum ſit generale, quod & tributa, vectigalia, alioſq; fructus complectitur, Vulgo Renten. Tiraq. *in tract. de vtroq; retr. §. 1. gl. 6. n. 1. & 2.* Caſp. Roder. *in tract. de redit. ann. & menſt. lib. 1. cap. 9. num.* 12. Boſſ. *in tit. de vectigal.* Reditus ergo publici ſunt illa compendia & lucra publica, quæ ex patrimonio, bonis & iure publico proficiſcuntur. Qui æque ac priuatæ collationes ſiue vectigalia duplici differentia. Quidam enim certi eſſe poſſunt: quidam vero incidenter tantum & caſu quodam fiſco cedunt. Certi deinde Ordinarij, qui certo ordine & ſtato tempore proueniunt: vel Extraordinarij, qui extra ordinem tantum tempore neceſſitatis locum & vſum habent. Quanquam priuata ſæpiſſime videris compendia & extraordinaria degenerare in ordinaria, & continuari tacito conſenſu populi & boni publici cauſa. Sed quomodo ſe habeant ſingula, ex ſequentibus dilucidius & plenius percipietur.

CAPVT

CAPVT III.

DE FVNDORVM PVBLICORVM *reditibus.*

REDITVS Ordinarij ex patrimonio & bonis publicis promanantes ſunt inprimis illi, qui ex publicis deſumuntur fundis, puta agris, paſcuis, vineis, oliuetis, hortis, ſyluis & nemoribus.

REſp. enim hac in parte æque vtitur mediis illis, quibus patresfamilias, Inprimis vero fundorum cultura. Si enim reditus in rep. ſtabiles & perpetui eſſe debent, vt paulo ante demonſtratum eſt, quomodo ſtabiliores & diuturniores eſſe poterunt reditus, quam ex fundis publicis, veluti perpetuis redituum fundamentis? Adeo vt nulla reſp. ciuitas, opidum vel vicus recte fundetur, qui non ab initio in diſtributione regionis & loci ſibi partem ſoli vendicet, ad culturam agrorum, paſcuorum, pecorum, ſyluarum, vinearum, hortorum publicorum, ad piſcinas, ad venationem ferarum, ad aucupia, &c. Quid quod ne quidem ſcholæ publicæ ſiue Academiæ ſine publicis agris recte conſtitui poſſint? Vt olim quidam vir magni iudicij vere prædixerit propediem interitum nouæ ſcholæ ſecuturum, publicis fundis deſtitutæ, quod & paucos poſt annos ita euenit Inprimis vero Montes Reip. & Principum ſtudio perquirendi & percolendi ſunt ad aurum, argentum, ferrum, plumbum, ſtannum fodiendum, & cætera id genus metalla & mineralia. Exemplum habemus in Romulo, de quo T. Liuius, [*Romulus agrum Romanum in tres partes diuiſit, quarum vnam ſacris faciendis, ſecundam Reip. oneribus ſubeundis, poſtremam ciuibus æqualiter aßignauit.*] Quandoquidem bonum publicum & Rem populi ſine fundamentis & fundis publicis ſiue communibus ſubſiſtere diu non poſſe, prudenter præuidit. Dabantur quoq; agri colendi certa penſione, vel cum parte, vt ſteriles ad fœcunditatem reducerentur, interim vero cultores eos gratis poſſiderent, & poſtmodum certa mercede *l. 1. 3. 6. & 7. C. de communi agr.* Qui agri propterea vectigales dicti, *t. t. D. & C. ſi ager vectig.* Gœd. *in l. 27. n. 17. de V. S.* Budæus *lib. 4. de aſſe pag. mihi* 147. *fac. l. 11. D. de vectigal. & publ.* Idemq; teſtatur Appian. Alexandr. *lib. 1. de bell. ciuil.* quem allegat Læl. Zechius *lib. 2. polit. c. 3. p. 226.* Romani enim agros, quos hoſtibus adimebant, ſi culti erant, ciuibus diuidebant: ſi inculti, Italicis hominibus vel plebi Romanæ locabant, ea conditione, vt qui araſſent, decimam frumenti, quintam aliarum frugum partem reip. ſoluerent: & qui pecora maiora vel minora alerent, certum ſtipendium ſoluerent. Et extat conſimile exemplum Pharaonis, *Gen. 47.* cuius ſubditi ob agros datos quintam partem ſoluebant. Adeo vt hodie bono publico & ſingulorum quam optime conſulant rerump. & ciuitatum moderatores, quod terras publicas partim ſua induſtria colendas curent, partim vero ciuibus diſtribuant pro annua & æqua penſione. Welches Recht heiſſet den gemeinen Nutz befördern. Quandoquidē & bo-

num publicum & priuatum inde emolumentum capit. Cæterum suadent prudentiores maximam partem loci culturæ singulorum ciuium destinandam & addicendam esse: quandoquidem maior pars hominum in rep. ex agricolis & pastoribus constat. Nec quicquam magis tam necessarium est ad sufficientiam rerum parandam, quam frequens studium agriculturæ, quæ postmodum & ansam & manum porrigit opificiis & mercimoniis, quibus resp. indiget. Habet enim princeps & resp. aliunde suos reditus ordinarios à ciuibus illatos, puta collationes, tributa, vectigalia, &c. quibus sese honeste alere, & ea, quæ ad administrationem, sustentationem & defensionem reip. pertinent, procurare potest. Quod si media illa ciuibus adimat, quibus victum & amictum quæritant, & semetipsum reditibus ordinariis spoliabit, & singulos egestate & inopia opprimet. Pauciores itaq; agri reip. & principibus reseruentur, ceteri oẽs singulis ciuibus distribuantur. Quod æque exempla prudentum principum, ac ratio ciuilis comprobant. Ita enim de Tiberio Tacit. *lib. 4.* [*Pauci*, inquit, *per Italiam Cæsaris agri*:] quod prudentissimus Scipio Ammiratus *in discursibus suis in Corn. Tacit.* lingua Italica eleganter conscriptis, politice & polite declarat.

Attendat hic prudens Princeps ad fines sui imperij & soli opportunitatem vel solitudinem, vt nullam portiunculam terræ incultam relinquat, sed sterilia loca, deserta, montosa & syluestria, industria fœcunda & culta reddere studeat, ad exemplum Germanorum, qui nobis longe aliam Germaniam tradiderunt, quam quæ à Tacito describitur. Solertiam quoq; Belgarum imitetur, qui etiam lacustria loca excolunt. Quæ cultura ciuibus committenda: sin sumtus & labores grauiores desideret, principali & publica ope adiuuanda erit. Vide exemplum Vsiæ, *2. Chron. 16. v. 10.*

Cæterum fundi appellatione hic intelligo agros, pascua, vineas, olíueta, hortos publicos, syluas, & quicquid soli reditus & fructus parit. Confer Choppin. *de doman. Franc. lib. 3. t. 22 n. 6.* Landtrecht. *lib. 2. art. 61.* Natta *consil. 375. n. 8. 9. lib. 2.* P. Heig. *p. 1. q. 25. n. 23.* Churfürst. Pfaltz Landes Ordnung. *t. 17. p. 243.* Quantum enim lucri ex hisce fundis resultet ærario, quis est, qui non videat? Et huc pertinent omnis generis artes & media, quibus Princeps siue Resp. lucrum ex solo & superficie captare potest. Dardurch ein Herr sein Acker / Wiesen / Holtzung / Als zum brewen / brennen / Kohlen / bawen / Bretschneiden / rc. nutzen vnd geniessen mag. Huc referendum quoq; est vectigal, quod ex agris publicis pro pastu percipitur, Lips. *lib. 2. c. 1. de magnit. Romæ.*

CAPVT IV.

DE VENATIONIS, AVCVPII ET PISCINArum publicarum prouentibus & reditibus.

NON minus quoq; venationes ferarum & Aucupia Principum & Rerumpubl. nec non piscinæ & flumina publica reditus suos ærario conferre possunt.

Vena-

VEnationem ferarum quod attinet, memini illam iure diuino & gentiũ communem esse omnibus: vti ex textibus iuris ciuilis passim constat. Cæterum ius venandi, præsertim bestias maiores, sibi Principes, haud tamen citra iuris titulum & æqui rationem vendicasse, & veluti regale reseruasse, fundamentis & argumentis satis firmissimis iuris interpretes & politici adserere conati sunt. Quippe quod hoc adeo inualuerit moribus & consuetudine, vt fere nullus principatus aut resp. existat, qui hoc iure venandi non gaudeat, plebe exclusa, vt tractat Mosr. *in tract. de venat.* & Iohan. Harprecht. *Instit. in tit. de rer. diuisio. ad rubr. post.* alios late. Quorum argumenta non adsumam, ne actum agam. In propatulo est, ius venandi competere primatibus principibus & rebuspubl. aliisque, qui id priuilegio impetrarunt à principe, Vulgo Hoher vnd nider Jagt / Regal oder Gerechtigkeit. De eo quæstio hic est, quomodo Principes ex venationis & aucupij emolumẽto ærario reditum conferre possint? Sunt qui principibus consulunt bestias & aues promiscue deliciis & cupediis aulicis insumẽdas, quibus tamen interdũ parasiti adulatores, & fex aulæ magis vesci & saturari solent, quam principes ipsi. Quis enim principum tam amplam & lautam aulam alit, vt tantam copiam ferarũ & auium suis mensis conficiat frugaliter? Proinde sunt alij, qui principibus suadent vsum ferarum & auium quodammodo reuocandũ esse ad ius gentium, iure tamen regali illibato. Vt quidem tantum suis mensis & aulæ insumant, quantum satis: Reliquum quod supersit, venale exponant æquabili pretio cæteris ciuibus, vt æque pauperes ac diuites, ignobiles & nobiles hisce bonis iuris gentium vtantur fruantur. At suggeret quis, sordidum esse, Principem mercatu eiusmodi quæstum facere. Verum enimuero nihil sordidi & alienum à principali dignitate video. Etenim si princeps ex metallis, ex syluis suis, &c. concedit subditis aurum, argentũ, ligna, & id genus alia: Quidni etiam æquabili & tolerabili pretio feras & aues? cum & istæ bestiæ in communem vsum hominum creatæ? Et quidni æquius, talia bona communicari etiam ciuibus, quos Princeps vt pater amare intelligitur, quam ista à parasitis & lurconibus tantum prodige consumi? Quo pacto etiam maiorem affectionem & amorem populi erga se excitabit? Neque desunt exempla principum, qui hoc modo populo gratificari, & vna ærarium suum aliquantillum adiuuare studuerunt, absque vllo opprobrio. Cuius rei caussa syluulas & lacus certos (singulare aucupij genus) ad anates capiendos, extrui & adaptari curarunt, vt ductu anatum mansuefactorum sæpenumero vna vice mille anates feros veluti hospites inuitatos reti concluserint, Vulgo ein Entenfang / ingeniosum sane inuentum, Belgis familiare: sed Germanis minus notum. Vnde facile copiam habebis omnis generis ferarum, puta ceruorum leporum, aprorum, perdicum, & id genus aliarum, quas tolerabili pretio comparabis, præsertim ad conuiuia & solennitates publicas nuptiarum, &c. Carpant qui velint. Lucrum sane non inhonestum ex re iucunda & vtili plebi, non video improbandum. Idem iudicij esto de piscinis publicis. Interest enim publice sufficientiam omnium rerum ad victum habere, quam tam studio publico, quam priuato curare: & ærarium lucro exinde percepto locupletare oportet. Huc piscationum reditus *in c. 1. quæ sint regalia.* referri videntur.

CAPVT

CAPVT V.

DE REDITIBVS EX METALLIS, SALINIS, *Lapidicinis, &c. publicis.*

DEINDE etiam reditus metallici, quum Principes & Resp. Venas metallicas ſuis ſumtibus inueſtigant, ærarium adaugent.

PVblice enim intereſt, vt inprimis Principes metallorum ſtudio inuigilent, cũ intolerabiles fere ſumtus ad inquirendas venas auri & argenti aliorumq; metallorum neceſſarij, quibus ferendis alij tenuioris fortunæ impares ſunt: Tum quod argentariæ, id eſt, venæ metallicæ cuiuſuis generis ferme, inter Regalia referantur, & potiora, auri nempe & argenti, principibus reſeruentur. Afflict. *deciſ. 321.n.20.* Exemplum ſuppeditat Liuius *lib.39.p.488.* in Philippo patre Perſei. [*Qui vectigalia regni non tantum fructibus agrorum portoriiſque maritimis auxit: ſed metalla & vetera intermiſſa recoluit, & noua multis locis inſtituit.*] Vnde Teuberus *p.1.q.22.iur.ciuil.& Saxon.* Lucrum ex metallis vera eſt Principum mercatura, quibus nemo præter principem manum admouere poteſt. Canonem metallicum non intelligo hic. Quippe quod ille inter vectigalia ſiue collationes ſingulorum referendus. Quantum vero prouentus metallici proficiant ærario, exemplo Elect. & Ducum Saxon. qui intra annos 79. ex venis Snebergenſibus, ex decimis & ſignatione argenti 41118. tonnas auri collegerint, poſt Albin. *p.4.* Der Meiſchniſchen Berg Chronick. Waremund. *de ſubſid. regnor. p.55.* probat. Late agit de venis metallorum & eorum iure Proſper Farinacius *in var. quæſt. q.104. inſpect.2.* Adde Petr. Heig. *in quæſt. Teuber.* & alios Dd. *in c.1. in verbo argentariæ, quæ ſint regalia.* Boſſ. *in tit. de metall. nu.4.* Afflict. *deciſ.321.* Peregrin. *de iure fiſci lib.4.tit.2.rubr. de theſaur. & metall.*

Huc pertinent quoq; Salinæ & ſalis fodinæ proprie Principum, quas ſuis ſumtibus colunt Sålen vnd Saltzberg. Item Ferrariæ officinæ Eyſenhämmer. Qua in parte tamen Principes caute agant, ne videantur ſeſe immiſcere ſordibus & monopoliis, & ciuibus commercia & artes quæſtuoſas præripere: Quanquam Principes haud paucos hæc exercere videre eſt.

Huc quoque referri poſſunt Lapidicinæ publicæ. facit *l. venditor §. ſi venditor D. commun. prædior.* ad quas refert Alumen Farinacius ex Afflicto. *nu. 61. dict. q.104. inſpect.2.* Item Picariæ, Pechöfen / & id genus alia.

CAPVT VI.

DE REDITV PRO SOLO, AQVA *& ædibus publicis.*

PRÆTEREA reditus quoq; ſumuntur ex ſolo, aqua & ædificiis publicis.

Solent

Solent enim interdum Principes & Ciuitates ſolum publicum concedere priuatis certo pretio, vt in eo ædificent. arg. *l. 1. §. ſi quis. D. ne quid in loco publ.* Publica enim loca iure ex commercio exemta ſunt: proinde non niſi autoritate publica alienari, & iuri priuato poſſunt ſubiici.

Idem iudicij eſto de aqua publica, quam abſq; principis conſenſu vel magiſtratus ducere non licet in priuatum vſum.

Huc ſpectat compendium, quod in mercatibus pro loco & ſede publica, vulgo Ståtgeldt / datur. Sic quoque ædificia interdum ſolent extrui à magiſtratibus, vſibus & opportunitatibus negociorum priuatorum inſeruientia, puta Kauffgewand: Leinwad: Schuchhåuſer / Fleiſch: Brodtbånck / Jahrkůchen. Item tabernæ inſtitorum Kramerlåden / pro quibus vel certo tempore, vel annuatim certa penſio ſolui ſolet. Huc quoque referri poſſunt compendia molendinorum publicorum. Die Metze vom Gedreidich / Maltz / Maſtung. Et quę ſunt eiuſdem generis alia. Quæ quamuis leuiuſcula videntur, attamen

Heic quæ non proſunt ſingula, multa iuuant.

CAPVT VII.

DE VSVRIS PVBLICIS, ET MONTE *Pietatis extruendo.*

DENIQVE vſuræ pecuniæ publicæ ærarium accumulant. Quarum cauſa Mons pietatis in Rep. erigendus. Mons pietatis eſt arca Principis vel Reip. ex qua pecunia publica ad legitimas vel paulo maiores vſuras mutuo datur, pignore dato.

MOntem pietatis qui extruendum deſcribunt, diuerſo ſenſu accipiunt. Sunt enim qui pro eo monte interpretantur, ex quo pecunia publica datur mutuo mutuatario ad vitam ad vſuras maiores, quam quæ iure & vſu receptæ ſunt (puta vt pro centum florenis ſoluantur quotannis octo, vel octo cum dimidio) ſed illa cum pactione, vt quandiu viuat mutuatarius ſortem repetere nequeat: at mortuo iſto ſors cedat Principi, qui montem conſtituit. Scipio Ammirat. *lib. 3. diſcurſ. in Cornel. Tacit. cap. 8.* quem modum damnat adæque ac Petr. Heigius *p. 2. q. 1. num. 153.*

Alij vero accipiunt Montem pro ærario militari, quod forte primum ex dimidio cenſus ciuium conſtitutum, adauctum viceſima parte fructuum quotannis, & vſuris denique vtriuſque ſortis mutuo elocatæ. Andr. Friccius lib. 3. *de emend. rep. cap. 12.*

Nos hic alio ſenſu pro pecunia publica, quæ ciuibus vel peregrinis, ſupellectile aurea vel argentea pignori oppoſita, mutuo data eſt, & legitimas vel paulo maiores vſuras annuatim parit, ex quibus ærarium indies ſtabilitur & incremen-

tum capit. Montem pietatis merito indigitamus hunc modum, quod princeps & resp. pietatis affectu, inprimis personis miserabilibus & præsenti pecunia destitutis (licet pignora in bonis habeant) aduersus imposturam & malitiam fœneratorum & Iudæorum hoc pietatis monte & præsidio, id est, mutuam dando pecuniam ad tolerabiles vsuras, succurrat. Cum alias ne quidem pignore etiam dato pecuniam mutuam petentes non nisi ad insolentes & maximas vsuras & pignore, nisi id ad destinatum tempus luatur, commisso, impetrare possint. Quæ auaritia iuri diuino & humano aduersa summo cum detrimento singulorum & reip. coniuncta est, & propterea hoc remedio salutari præcauenda & tollenda esset. Nam si Principes & Resp. hoc modo deficientiæ ciuium obuiarent, non dubium est quin sæpenumero & substantiis obæratorum, quas alias maxima cum iactura distrahere coguntur, consulerent, & in consequenti etiam toti Reip. prodessent. De quo remedio latius dicam *in cap. de remedio fœnoris & fœneratorum.*

Cum quo comparanda est societas mercatorum, qui sociis aliisue pecunias mutuo dare solent ad maiores vsuras. Vti est Compagnia di San Giorgio à Genua, & Augustæ, Venetiis & alibi id obseruare licet. Quibus autem mediis eiusmodi montes & societates ab initio fundentur, ex supradictis colligere licet, & plenius alio in loco de illis agemus.

Hic modus conferri potest, quo olim Mendæi vsi. Qui quidem fructibus, quos redderent portus & alia vectigalia, vtebantur ad ciuitatis administrationem. Sed quod ex solo & ædificiis perciperetur, id non exigebant, ac nomina tantum occupantium perscribebant. Qui quoties ciuitati pecunia opus erat, persoluebant quantum debebatur. Lucrum igitur faciebant ex tempore præterito abusi illo pecuniis sine fœnore. Ioachim. Camerar. *in Arist. Oecon. lib. 2. p. 81.*

Finis libri primi.

LIBER

LIBER SECVNDVS
DE REDITIBVS PVBLICIS EXTRAORDINARIIS.

Capvt I.

De Opificiis Pvblicis et exinde reditibus.

HÆc de Ordinariis reditibus: Sequuntur Extraordinarij reditus publici, qui interdum vrgente causæ necessitatis vsum habent.

Solent autem interdum extra ordinem à principibus vel rebuspubl. vsurpari quædam Opificia & Artificia mechanica, inprimis sublimiora ad reditus publicos conficiendos.

ÆRarij necessitas interdum exigit, vt etiam Principes quasdam quæstus artes priuatorum imitentur. Quæ res veniam eo magis meretur, quod bono publico, si quid iniqui inesse videatur, vicissim compensetur. Vti autem ad quæstum priuatorum agri, opificia & mercatura potissimum expediunt: Ita quoque cultum agrorum instituit (vt dictum est) princeps, & opificia quædam sibi vendicat suis sumtibus, nec non mercaturam rerum quarundam, inprimis maritimam exercet, & Monopolia quædam sibi reseruat, vt & bono publico & priuato mutua vice prospiciat. Ad quos tamen modos principem lento pede transire decet, nec nisi ex causa vrgente, quæ sæpe legem non patitur. Sunt enim eiusmodi munia regulariter ciuibus deputanda, quibus victum & amictum quæritent & quæstum faciant: Principes vero destinatis vectigalibus & collationibus, aliisq; regiis reditibus contenti viuere debent. Nisi tanta sit ærarij inopia, vt aliunde subleuari nequeat, quam hisce mediis communibus, quæ regulariter ciuibus competunt: & principe aut rep. indigna. Sed quid non necessitas? Ingens telum, quæ legem non habet. *l.1. & ibi Dd. de officio Cos.* & ex illicito licitum facit. *c. remißionem 1. q. 1. c. sicut de consil. dist. 5. l. qui potuerit. de manumiss. testam.* late Coler. *de aliment. lib. 2. c. 7. nu. 42. & 43.* Gentil. *lib. 2. de iure belli cap. 6. p. 257.* Watemund ab Ehrenberg. *c. 8. de subsid. regni p. 120.* Arnold. Clapmar. *de iure dominat. cap. 1. & seq.*

Ex genere opificiorum solent quidam Principes sibi pannorum exoticorum

texturam & sericorum reseruare iis in locis, vbi eiusmodi artificia ob defectum materiæ vel artificum in vsu singulorum non frequentantur. Solent quoque officinas Cupri & ferri sibi reseruare, Kupffer vnd Eysenhämmer, in quos maximos oportet sumtus impendi, præsertim iis in locis, vbi abundantia horum metallorum, at penuria lignorum. Adeo vt sumtus huius rei vix tolerare possint vires singulorum. Ita quoq; Officinas Vitrorum singulares constituere solent fere ex eadem causa, Glaßhütten. Vti Venetiis, in Belgio & in Germaniæ locis passim fieri videmus. Ciuitatibus vero sunt familiaria Molendina publica, quæ à vento & aquis agitantur, Gemeine Stadtmühlen. Item Officinæ papyri conficiendę Pappirmühlen/ & id genus alia, Walckmühlen/ Brettmühlen/ꝛc. Item fornaces coquendi lateres Ziegelöfen/ quæ in omni bene constituta rep. necessariæ sunt. Quæ sane publici boni gratia instituuntur, & sumtibus publicis exercentur à magistratibus, nec possunt non multum lucri ærario communi adferre.

Belgæ (quod notatu dignum) eiusmodi opificia ad coercendos prodigos, malos & vagos homines, nec non mendicos validos & otiosos ad laborem compellendos & libidinem effrenem domitandam singulari modo in carcere quodam publico exercitant: qui (vulgo das Zuchthauß/ Item Spinhauß) eo fini instar palatij ampli & spatiosi extructus est, & cubiculis officinisque diuersis ad opificia mechanica opportunis distinctus: Cui ociosi, prodigi, filij immorigeri, & id genus malitiosi includuntur, vt victum labore & manu mereantur: & tandem ad meliorem frugem & vitam regressi, emendatiores & mansuetiores & laboris patientes dimittantur. Vnde sane metu huius censuræ publicæ paucissimi inueniuntur in triuio mendicantes validi, ociosi, prodigi, & id genus inutilia pondera terræ. Cuius mentionem facit Hippol. à Collibus *de increment. vrb. c. 23.* Quantum vero compendij & lucri ex operibus istorum hominum fisco procuretur, facile coniici potest. Sed de hac censura locus erit latius differendi in Remediis vitiorum Reip.

Videant vero Principes & Resp. vt eiusmodi Opificiis cum delectu & parce vtantur: ne dignitatem suam prostituant, & vsum industriamque collegiorum Opificum impediant. Quod absque detrimento Reip. non fieri potest: cum Principes rationes & ordines singulorum cum publicis confundere satagunt.

CAPVT II.

DE MERCATVRA PRINCIPVM MAritima & terrestri.

MERCATVRA etiam Principis vel Reip propria interdum ærarium adiuuandum est ex causa. Quæ vel esse solet impotentia subditorum, quorum vices subit, quando subditi sunt impares oneri mercaturę, partim

partim ob magnitudinem ſumtuum, partim ob hoſtilia pericula: vel tenuitas extrema ærarij id requirit.

Militibus iure Ciuili mercaturam interdictam eſſe, vt ne dum quæſtui inhient, arma deſerant, paſſim ex legibus patet. Genera vero adquirendi, Agriculturam, Mercaturam & Opificia plebi Politici aſſignant. *arg. l. 2. de mund.* Plat. Ariſtot. & alij. Proinde Mercaturam, præſertim quæſtuoſam Principi, vel nobili viro vitio vertunt. Tiraq. *de nobilit. cap. 33. & paßim.* & Scipio Ammirat. *lib. 3. diſcurſ.* Qua de cauſa à P. Claudio Trib. pl. lex lata, [*Ne quis Senator, aut qui pater ſenatoris fuerit, poßit naui maiori vti, quam 200. amphorarum.*] Quod illa videatur ſufficere ad conductionem fructuum ex agris eius. Nam vt Liuius *lib. 31.* [*Quæſtus omnis patribus indecorus viſus eſt.*] Quod ſi ergo viris nobilioribus inhoneſtum eſt quæſtuoſa mercatura diuitias quærere, quidni principi, qui ſe reditu publice aſſignato ſuſtentare tenetur: & Commerciorum genera priuatis relinquere. Niſi inopia ſubditorum Mercaturam principibus & reip. non quidem promiſcuam & omnem, ſed rerum quarundam, aut maritimam, ad cuius ſumtus tolerandos ſubditi impares ſunt: Vel alias tenuitas ærarij tanta, vt aliunde, niſi mercatura reditus publici ſubleuari & reſarciri nequeant interdum permittat. Propterea quod neceſſitas legem non patiatur. Hiſce caſibus ſtatuunt Politici à dignitate Principis mercaturam non alienam. Læl. Zech. *lib. 2. in principe c. 2. p. 224.* Nec deſunt exempla in ſacris & profanis hiſtoriis. In ſacris Salomonis, qui triennio naues in Indiam mittebat, 1. *Reg. 10. v. 22.* [*Nam claßis Oceani pro Rege cum claſſe Chirami erat: ſemel ternis annis veniebat claßis ex Oceano, afferens aurum & argentum, ebora & ſimias & pauones.*] Item *v. 14.* [*Erat autem pondus auri quod obueniebat Schelomoni quolibet anno ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri. Præter id quod obueniebat à publicanis negociatorum & mercaturæ aromatariorum: & omnibus regibus Arabiæ & proceribus eius regionis.*] Item *cap. 9. v. 28.* [*Profecti Ophirum acceperunt inde auri quadringenta viginti talenta, quæ attulerunt ad regem Schelomonem.*] Item *2. Chron. 8. v. 30.* [*Miſit vero ei Churam per ſeruos ſuos naues, & ſeruos peritos maris, qui abeuntes cum ſeruis Schelomonis Ophirum acceperunt inde quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ea ad regem Schelomonem.*] Simile quoddam exemplum refert Camerarius *in Oecon Ariſtot. lib. 2. pag. 22.* [*Byſſantij*, ait, *in annonæ caritate, cum pecuniæ inopia laborarent, deduxerunt nauigia ex portu. Quod cum mercatores iniquo ferrent animo, vſuras perſoluerunt eis decimas. Qui autem emebant, tunc ab eis vltra pretium ipſum illas decimas exigebant.*] Et quid ordines Belgicæ, quid Veneti, quid Genuenſes, quid rex Hiſpaniæ tentarit mercaturis & nauigationibus publicis, in propatulo eſt. Alias hoc genus ſtatuit rariſſimum, & minime dignum Principe Bodinus p. mihi 1016. Neque eo niſi extra ordinem eſſe vtendum Prudentiores conſuadent.

CAPVT III.
DE MONOPOLIIS PRINICIPVM & Ciuitatum.

INTERDVM etiam rerum ſingularium & certarum monopolia Principibus reſeruari, aut priuilegio ciuitatibus in vſum publicum concedi ſolent.

MOnopolia quidem iure illicita eſſe, generaliter deciſum eſt *in l. vn. C. de monop.* Menoch. *lib. 2. cent. 6. arbitr. caſ. 569.* (Eſt enim monopolium ius vendendæ certæ mercis, quod vnus certique homines ſibi vendicant permiſſu Principis, ſub onere vectigalis, Gothofr. *in d. l. C. eod.*) propterea quod ius emendi vendendiq; ſit iuriſgentium, & cuiq; pateat liberum *l. 5. de Iuſt. & Iur. l. 1. de contrah. emt.* Niſi tamen ciuili ratione interdum ius gentium reſtringi oporteat & coarctari. *arg l. 6. de Iuſt. & Iur.* ob vtilitatem publicam & priuatam. Quod in arbitrio & prudentia Legislatoris & politici ſitum eſt: qui monopolia interdum in rep. certis ciuibus priuilegio concedere poteſt Stracha *in tract. de mercatur. p. 4.* Ita enim olim principes ius ſalis vendendi ſolis mancipibus eſſe voluerunt, & mancipum eiuſmodi & publicanorum ſocietates & collegia iure comprobata ſunt. *l. ſi quis C. de vectigal. & commiſſ. l. 1. quod cuiuſque vniuerſ. l. liber homo. 59. §. 1. de hered. inſtit. l. certam. 12. in pr. l. ſed & hi 13. de publ. & vectig.* Ariſtotel. *1. Polit. cap. 11.* [*Quare & nonnullæ ciuitates hanc ſibi viam ad pecuniam parandam, cum eius indigent, muniunt. Aſſequuntur enim, vt ſingularem rerum venalium vendendarum facultatem ſolæ habeant, &c. Vtile autem eſt hoc cognoſcere ciuitatum rectoribus. Multis enim ciuitatibus opus eſt pecuniæ faciendæ ratione & talibus rei nummariæ facultatibus, generi & domui, atque adeo magis. Quapropter nonnulli ex iis, qui ciuitates regunt ac moderantur, hoc duntaxat in rep. adminiſtranda prouident ac procurant.*] Hæc Ariſtot. Sic Regibus Galliæ reſeruatum ius vendendi ſalis, M. Freher. *de monet. p. 48.* Et monopolia hodie in Italia licita, Stracha teſtatur *d. loco.* Sic quoque Principes priuilegij loco Rebuſp. concedere ius vini vendendi, Den Weinſchanck/ & exoticæ cereuiſiæ, frembde Bier einzulegen/ vſu obſeruamus: Item ſalis, Saltzverkauff/ Lupuli, Den Hopffenkauff vnd Verkauff/ Vti Vratislauiæ in Sileſia priuilegio & longa conſuetudine ſibi ſolus Senatus ius emendi vendendiq; lupuli vendicat, quod cæteris omnibus ſub pœna graui interdictum. Quod inprimis obtinet, ſi exinde priuatis aut parum aut nihil præiudicij oriatur. Quod ſi ſecus, eiuſmodi conſtitutio & acquiſitio ab iniquitate non aliena eſſet. *c. quanto de procurat.* Petr. de Anchoran. *conſ. 3. per tot.* & Iaſon *in l. quo minus n. 155. & ſeq.* Deciſ. Pedemont. *17. n. 18. & ſeq.* Ioan. Copus *deciſ. 59. n. 28.* Ita obſeruari videmus quoque, vt quibuſdam in locis, Domini ius cereuiſiæ coquendæ ſibi arrogent, vti in Bohemia, à quibus ſubditi tenentur cereuiſiam emere. In Germaniæ quoq; locis reperiri ędificia publica cereuiſiæ coquendæ, Deß Rahtes gemeine Brewheuſer. Adde & alia exempla offene gemeine Badſtuben/ balnea publica, quæ locare ſolent certa penſione, Molendina publica, Zwangkmühlen. An vero iure Domini vel

Senatus

Senatus ciues cogere possint, vt in molendinis tantum publicis ciues & rustici molant, discutit Iohan. Copus *decis.* 20. Teuber. *p. 1. quæst.* 27. Huc pertinet exemplum Didalcis Persæ, qui Opifices in castris & caupones & permutantes aliquid penes se habebat omnes, neq; licebat horum quicquam alteri exercere vlli. Ioach. Camerar. refer. 2. *lib. Oeconom. Arist. p.* 34. Item Pytoclis Atheniensis, qui consilium dedit Atheniensibus, vt plumbum Tyrium Resp. à priuatis ad se reciperet, eo pretio, quo venibat, nimirum duobus denariis, vt ciuitas deinde illud venderet constituto pretio denariorum sex. Sed non semper exemplo, verum Iure iudicandum, id est, secundum id quod æquum & bonum est.

Caput IV.

OLLA FORTVNÆ.

Extra ordinem quoq; possent Ciuitates interdum ærario imminuto ad inferendam pecuniam vti olla fortunæ publica.

Qui tamen modus minus frequens est aut licitus, quippe qui falsi aut fraudis suspicione vix careat: memini tamen eius vsum in rep. quadam fuisse. Ratio eius longe differens est ab Ollis priuatis circumforaneorum, qui mille dolis pecuniam à plebe, sub prætextu lucri aucupari & aliorsum extra fines imperij transferre solent. Quas omnibus in locis, & nundinis præsertim, ideo interdictas vellem à magistratibus. Quanta enim fraudulentia & corruptio mercium, Der Gewin/ quanta impostura cum schedulis, inspectoribus etiam publicis præsentibus committatur, ipsi norunt, qui in hac techna exercitati, vel sæpe decepti fuerunt. Quas propterea quidam *in tract. suo de Magia*, inter præstigias magicas retulit de quibus etiam libellus scriptus. t. Vom Glückstopff. Huius vero ollæ publicæ ea ratio, vt interdum laborans Resp. inopia nummorum, ea vti possit, sine fraude tamen & deceptione. Quippe quæ merces aureas, argenteas, & aliam id genus supellectilem probam fortunæ exponat, ita vt priusquam schedulæ trahantur, tota summa symbolorum æqualium pretio mercium siue rerum ferme ex æquo respondeat, impensis laboris & operæ collatis. Et quia postmodum schedulæ non nisi publicitus sub dio & autoritate publica extrahuntur vna vice, nemo falli & decipi potest: sed cui sors faueat, lucrum auferat, donec etiam tota summa lucrorum siue munerum successu & continuatione sortium vna cum fructu schedularum finiat & desinat, Das die Gewinszettel gleich außgehen mit den Gewinnen / vnd sind sonsten keine blinde Zettel drinnen. Et quamuis quis parum lucri exinde magistratum capturum censeat, attamen modus est talis, qui saltem ex supellectile argentea & aliis rebus ad conficiendam numeratam pecuniam idoneus sit. Qui etiam in Italia inter priuatos non infrequens, præsertim si interdum ad merces æquo pretio emendas vnus vel alter insufficiens sit, quod plures collatione symbolorum complere & compensare valeant. Adeo vt tandem vnus, duo, tres vel quatuor

tantum

tantum sortitione lucra consequantur, cæteris frustra fortunam sorti committentibus. Hunc modum, quia in Rep. olim institutum vidi, silentio præterire nolui nec debui. Sit iudicium & arbitrium de isto penes lectorem: Ego neque suadeo, neque dissuadeo. Multa enim iniqua videntur tempore libero: quæ æqua postmodum tempore non libero habentur.

CAPVT V.

DE ALCHIMIA.

VSvs quoque Alchimiæ extra ordinem deficientibus metallis auri & argenti, & premente necessitate Reip. non videtur esse illicitus ad pecuniam.

DE auro & argento Chimico Philosophi non consentiunt. Sunt enim, qui id negant fieri posse. Sunt, qui id quidem fieri, sed mediocri bonitate, quæ metallis natiuis non conueniat. Sunt, qui factitium aurum ad perfectionem sublimiorem perduci adserere non verentur. Proinde adhuc sub iudice lis est. Principi siue Reip. pœnitere ob infinitas impostorum fallacias & præstigias non facile suaderem. Et video mecum consentire Chassanæum *p. 11. consider. 40.* ex eadem ratione. De quo etiam accipe iudicium diuini Scaligeri *lib. 4. Epidorp. p. 202.*

Rimaris maga ludibria, Chimicosque folles,
Inflabis & inflaberis. Hos effuge ventos.
Porro fuge deliria Cabbalisticorum;
Quorum labor est decipi & hinc decipere æque:
Quorum scopus est nil: iter extra omnia quæ sunt.
Quorum est animus pensilis à nigra fauilla,
A somniolis, nugisati vertice fumi,
In mari feruntque spem, metuntque fraudis vmbram.

Cui autor *de figmento pugnæ murium & ranarum* addi potest, vulgo Froschmeusler *lib. 1. cap. 8.* At si artifex reperiretur, qui ad mediocrem bonitatem auri & argenti metalla vilia sciret arte spagirica reducere, tempore necessitatis in suo territorio, Principe haud indignum videretur, defectum ærarij nummis ex factitio auro & argento compensare. Si enim licitum fuit Principibus tempore belli nummos cudere multum imminuta liga: quidni factitiis, ex eadem causa, vti liceat? Cum necessitas id, quod illicitum est, licitum reddat.

Consultius autem & vtilius videtur Principi, operam & fumtus ad transmutationem metallorum eorum impendere, quæ facilior, certior & fructuosior vsu comperta: puta vt ex ferro æs, vulgo Cuprum, reddatur: quemadmodum id in Vngaria beneficio aquæ vitriolatæ fieri refertur: similiter vt plumbum in æs redigatur, cuius artificij specimen ipsus vidi. Quod maximo cum lucro, si pretium vtriusq; Saturni & Veneris conferamus, fieri posse videtur ab illis Principibus vel Rebuspubl. qui quæue plumbo abundant.

CAPVT VI.

DE VENDITIONE HONORVM, DIgnitatum, priuilegiorum, &c.

EXTRA ordinem quoque interdum licet Principi magistratus & officia, dignitates & priuilegia vendere.

Verum est, quod Comicus ait *in Amphitru.*

Virtute ambire oportet, non fauitoribus.

PRæmium enim virtutis Honor est, qui non nisi dignis & bene meritis conferendus est. Aristot. teste & Imp. *in l. 4. C. de stat.* Proinde ambitio in omni bene constituta rep. merito exulare iubetur, *arg. l. 1. de ambitu.* Principis enim est, diiudicare vnumquemque, qui ob dotes ingenij & morum munere dignus sit in Rep. Estque persona præficienda muneri, non munus personæ: Man muß die Aempter mit Personen versehen / vnd nicht die Personen mit Aemptern, quod D. Augustus Elector Saxon. in ore habuit. Quocirca ius petendi magistratus cum moderamine modestiæ & intentione publici boni tantum permissum est in bene constituta rep. Quod ante accurate explorandum est. Nam qui petunt officia, sui causa plerumque videntur petere, id est, honoris & emolumenti priuati causa. Cum tamen omnia salutis publicæ gratia affectari, expectari, & impetrari debeant munera. Qui enim precibus & pretiis honores obtinent, facili ad omnem animi libidinem ambitionis & auaritiæ impetu rapiuntur. Miserrima est, Platone dicente, & Cicerone referente, ambitio honorumque contentio. Quæ sane cum detrimento maximo reip. connexa est. Etenim suspicionem non effugiunt isti ambitiosi, quin corrumpant & eos, qui deferunt pecunia, & eos, quorum intercessione & opera in petendo vtuntur. Quod si iam ambitus muneris inhonestus, & Reip. incommodus habetur: Anne multo turpior & perniciosior, cum id pretio venditur, emitur? Fieri enim non potest quin pecunia pecuniæ lucrandæ causa expendatur. Vt ij qui pretio emunt honores, non velint non maximum & turpissimum quæstum ex illis facere. Et quis ardor, aut quod studium virtuti supererit, si omnia venalia habentur? Inprimis principum priuilegia & beneficia, quæ ab eorum diuina indulgentia & prudentia proficisci & dignis conferri debeant. Qua de causa A. Friccius hunc publicum errorem damnat *lib. 1. de emend. rep. cap. 18. n. 2. & 3.* Item Ioan. *de la Madalene lib. 2. polit. cap. 3.* Scipio Ammirat. *lib. 3. discurs. 8.* Iacob. Menoch. *cent. 5. arbitr. cas. 401.* Ioan. Bodin. *lib. 5. cap. 4. pag. 854.*

Sunt tamen è Politicis non pauci, qui extra ordinem & tempore necessitatis id licere Principibus autumant: Quippe quæ legem non admittat, modo personis dignis & pretio æquabili vendantur. Ad exemplum libertorum, qui patrono pro beneficio manumissionis ἀντίδωρον soluunt. Vti etiam vasallis à Domino feudum pecunia data accipere licet. Quamuis enim beneficium gratuitum esse debeat,

attamen & remuneratio quædam referri poteſt conferenti gratitudinis ergo, aut ne beneficium cuiquam ſit damnoſum. Idcirco etiam id obtinere arbitrantur in collatione dignitatum & munerum ciuilium, vt aliquid remunerationis vtilitati publicæ repenſetur. Nec deerant exempla vetera & recentia, ſi exemplis, non legibus, id eſt, rationibus agendum eſſet. *contra l. properandum C. de iudic.* Apud Byſſantios lex erat: Non habendum pro ciue, qui non vtroq; parente ciue natus eſſet. Egentes pecunia ſcitum fecerunt: Qui altero tantum parente ciue natus eſſet, ſi perſoluiſſet duodecim millia nummûm, pro ciue habendum. Camerar. *lib. 2. Oeconom. p. 22.* Ita olim Seruos in Senatum lectos fuiſſe teſtatur Dio *lib. 43.* [*Enimuero* (inquit) *quia ſumtus longe fiebant, quam ante, maiores ac reditus alioquin non ſufficientes, minores etiam tum eſſent propter ciuilia bella, noua vectigalia quædam excogitata ab iis ſunt, in Senatum etiam aſſcripti permulti, non modo è ſociis militibuſve & libertinis, ſed ſerui etiam, &c.*] Illudq; Commodum Antonin. quoq; frequentaſſe, libertinoſq; ipſos in Senatum atq; in patricios allegiſſe. Lamprid. *in vita eius p. 168.* Nonnullis regionem, aliis libertatem, aliis ciuitatem, multis immunitatem vendidit. Dio *lib. 44. & lib. 46. in pr.* Idem *in Veſpaſiano:* [*Cœnis pellex Veſpaſiani, cuius conſuetudine Veſpaſianus maxime delectabatur, cuius cauſa etiam maximam potentiam & opes innumerabiles (vt creditum eſt) comparauit. Hæc enim multa accipiebat à multis, cum magiſtratus procurationeſq; prouinciarum & officia militum ac ſacerdotia, ipſa quoq; reſponſa Principis nonnullis venderet.*] Ita quoq; ius ciuitatis à Meſſalina & Cæſarianis magno pretio ab initio venditum eſt. Dio *lib. 60.* Veneti ſolent patricios iuniores, id eſt, qui non compleuerunt annum viceſimum quintum in ſenatum adſciſcere, pecunia certa ſoluta, qua veniam ætatis impetrant. Ita quoque apud eoſdem pro Nobilitate obtinenda in neceſſitate publica pecuniam ſolutam fuiſſe Sabell. *lib. 6. & 7. c. 2.* teſtatur. Læl. Zechius *lib. 2. cap. 3. p. 228. polit.* Adde Reuſner. *lib. 1. c. 10. p. 107.* vbi plura exempla refert. Pleraq; vero officia hodie in Gallia eſſe venalia in propatulo eſt, neque extra ordinem, ſed iam continua & perpetua ferme lege vendi. Qua ratione quidem regius fiſcus ditatur, ſed num è dignitate regia, & è rep. ſapientes deputent. Hoc tributum ex mercatura honorum, quod frequens in Gallia, turpiſſimum iudicat ipſe Bodin. *lib. 6. de rep. c. 2.* Iohan. de Magdalene *in diſcurſ. polit.* poſt alios. Noſtrum ſit, hic meminiſſe, NON QVID ROMÆ FIAT, SED QVID FIERI DEBEAT. *l. 12. de Off. proCoſ:* Neceſſitate tamen vrgente tales modos recte adhiberi. Propterea quod neceſſitas, magnum imbecillitatis humanæ patrocinium, omnem legem frangit, Senec. *lib. 9. de Clement.* & fac. *l. 2. C. de patr. qui fil. ſuos diſtra. l. 7. de adminiſtr. & peric. tut.* tum quod publica vtilitate, quidquid incommodi & detrimenti inde emergat, reſarciri videatur. Salus enim populi ſuprema lex eſto. Nam vt Leuinus Conſul Romanus apud Liuium *lib. 26.* ait: [*Reſp. incolumis & priuatas res facile præſtat ſaluas.*] Et Tacit. [*Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos vtilitate publica rependitur.*] Et Plutarch. [*A iuſticia in paruis rebus nonnunquam abeas, ſi ſaluam eam voles in magnis.*] Arnold. Clapm. *lib. 4. de arcan. rerump. cap. 4.* & iura publica ex priuatis non æque decidi Clapmarius recte concludit *d. lib. 4. cap. 1. contra Cabotium lib. 1. quæſt.* Adde Coler. *in proceſſ. execut. p. 2. cap. 2. num. 138.*

CAPVT

CAPVT VII.

DE FEVDIS VENDITIS ET alteratis.

FEVDA quoq; quamuis beneficia commodo & bono publico vendi solent. Modus sane ditandi ærarium honestus & æquus, & hodie frequens.

FEuda beneficia esse etiam pueri, qui ære lauantur, vt Satyrici verbo vtar, non ignorant. Sunt enim profecta ex mera beneuolentia Domini, & bene meritis concessa, defensionis publicæ gratia. Vnde recte definiuntur Beneficia fidelitatis. Quorum vsus in bene constitutis Rebusp. maximus, vt suo loco demonstrabitur: adeo vt sine feudis & clientelis militaribus Resp. intuta & imperfecta esse videatur. Eo enim ipso, quia beneficia, gratuita esse regulariter intelliguntur. Illudque verum beneficium, quod gratis confertur. Cæterum cum vasallus nihilominus ad mutuam quandam obligationem remunerationis erga Dominum teneatur, prudentioribus & politicis consultum & bene visum fuit, vt vasalli pretium velut ἀντίδωρον quoddam dominis rependerent pro feudo concesso. Vnde feuda emtitia inualuerunt. Optimam ergo habent occasionem augendi ærarium principes illi, qui nouas & liberas ditiones adepti, quas aliis concedunt, pretio quodam dato. Quem modum vt Principe dignum & Reip. vtilem consuadet prudentissimus Ammiratus præ aliis *lib. 3. discurs. cap. 8.*

Huc quoque spectant illa feuda, quorum successio ad fœminas extensa Das Lehen zu Erbe gemacht/vel alias natura mutata est pensione vel honorario interueniente. Vti in Lusatia superiori vasallis licet vigore priuilegij impetrati de feudis libere disponere, vulgo mit dem Lehen zuthun vnnd zulassen haben jedermänniglich vngehindert.

Huc quoque pertinet illa cautela, qua ciuitatibus licitum est feuda comparare, modo caducitatem (quia ciuitas non moritur) summa pecuniæ à Domino redimant, Das sie vor die Lehensfälligkeit eine stadtliche Summa Geldes geben. Item laudemia. Et si quæ sint alia compendia ex feudis.

CAPVT VIII.

DE COLLATIONE SVPELLECTILIS *Principis, aut Primorum Reip.*

VRGENTE necessitate solent quoque Principes & proceres Reip. suam supellectilem auream vel argenteam exponere, & conferre publico bono.

OPtimo sane exemplo optimorum Principum, inprimis M. Antonij Philosophi, de quo Iul. Capitolin. [*Quum autem ad hoc bellum omne ærarium exhausisset*

ſuum, neq; in animum induceret, vt extra ordinem prouincialibus aliquid imperaret, in foro D. Traiani auctionem ornamentorum Imperialium fecit, vendiditq; aurea pocula & cryſtallina & myrrhina, vaſa etiam regia, & veſtem vxoriam ſericam & auratam, gemmaſque etiam, quas multas in repertorio ſanctiore Adriani repererat: & per duos quidem menſes hæc venditio celebrata eſt, tantumque auri redactum, vt reliquias belli Marcomannici ex ſententia perſecutus, poſtea dederit poteſtatem emtoribus, vt ſi quis vellet emta reddere atque aurum recipere, ſciret licere: Nec moleſtus vlli fuit, qui vel non reddidit emta, vel reddidit. Traianus etiam Imp. cum pecunia egeret, magnum numerum veſtium, multaque vaſa argentea atque aurea, & reliquam ſupellectilem, non modo de priuatis ſuis, ſed etiam de principalibus rebus, multa etiam prædia, multaſque domos, atq; in ſumma omnia, præter ea, quæ neceſſaria erant, vendidit. Neq; vero in pretiis harum rerum ſordidus, ſed in hoc ipſo benignus erga multos & liberalis fuit, Dione referente. Sic quoq; Nerua Imp. Romæ deſignato, deinde pleræque ſtatuæ Domitiani argenteæ atque aureæ (quippe odio apud omnes erant) ſublatæ ac diſſipatæ ſunt. Ex quibus grandis pecunia redacta.] Dio *in Nerone.* Ita olim Senatores Romani aurum, argentum & æs ſignatum contulere, teſte Liuio *decad. 3. lib. 6 p. 142.* [*Magiſtratus* (inquit Leuinus Cos.) *Senatui & Senatus populo ſicut honore præſtat: ita ad omnia, quæ dura atque aſpera eſſent ſubeunda, ducem debere eſſe. Si quid iniungere inferiori velis, id prius in te ac tuos ſi ipſe iuris ſtatueris, facilius omnes obedientes habeas. Nec impenſa grauis eſt, cum ex ea plus, quam pro virili parte ſibi quemq; capere principum videat. Itaq; vt claſſem habeat, quam ornare volumus, populus Romanus, priuatos ſine recuſatione remiges dare, nobiſmet ipſis primum imperemus: aurum, argentum, æs ſignatum omnes ſenatores craſtina die in publicum conferamus: Ita vt annulos ſibi quiſq; & coniugi & liberis, & filio fibulam & quibus vxor filiæve ſunt ſingulas vncias auri pondo relinquat. Cæterum omne aurum, argentum, æs ſignatum ad triumuiros menſarios deferamus, nullo ante SCto facto, vt voluntaria collatio & certamen adiuuandæ reip. excitet ad æmulandum animos primum equeſtris ordinis, dein reliquæ plebis. Hanc viam multa inter nos collocuti inuenimus. Ingrediamur Diis bene iuuantibus. Reſp. incolumis & priuatas res facile ſaluas præſtat. Publica perdendo, tua nequicquam ſerues.*] Hæc Liuius. Vnde animaduertimus hanc collationem Principum aut Procerum populi incitamento eſſe etiam priuatis, vt ſua ſponte conferant. Hac collatione à locupletibus militibus facta Rex Zenottus captus redemtus fuit, vt refert Albert. Cranzius *lib. 2. Vandal. cap. 33.* Rolbag. *in prælud. certam. maſcul. fœm. n. 46.* Plura exempla vide apud Valer. Max. *lib. 7. c. 7.*

CAPVT IX.

DE ALIENATIONE ET OPPIGNORATIONE partium ſiue ditionum Reipub.

INTERDVM etiam Principi licet tempore neceſſitatis aliquid de terra regni ſiue Reip. alienare.

HOc an Principi liceat, à ICtis & Politicis hinc inde ventilatur. Communis tamen opinio eſt, Principem Imperij res abalienare non poſſe. Hæc enim non

non magis quam patrimonium priuatorum exinaniri aut euiſcerari debent Arnold. Clapmar. *lib.5.cap.12.* Cæterum neceſſitas publica legem non patitur, adeo vt & Principes de patrimonio regni aliquid alienare poſſint, vel ſaltem oppignorare. Ita apud Byſſantios cum ex incolis quidã fœnore collocaſſent pecunias oppoſitis bonis, neq; eſſet, vnde illæ perſoluerentur, ſcitum fecerunt: vt qui tertiam partem debiti ſeu pecuniæ mutuæ, tributi nomine conferret, bona illa tanquam propria retineret. Camerar. *in Oeconom. pag. mihi 22. lib. 2.* Idem de Hippia Athenienſi, quod eminentia in ſuperioribus partibus ædium, & proiecta in publicas vias, itemque ſcalarum gradus & præmunita veſtibula, & ianuas, quæ aperiendo extrorſum vertebantur, vendidit. Emebant igitur hæc illi prædiorum Domini, & ita copioſa pecunia collecta eſt. Adde Reuſner. vbi plura exempla refert *lib. 1. cap. 20. p. 106.* Et quia plerumque lege imperij cautum eſt in bene conſtitutis regnis, ne abſq; conſenſu Ephororum ſiue Ordinum, vulgo Der Stånde/ Princeps ſeu rex aliquid alienet aut pignori opponat de terra regni: Ideo conſultum hic eſt Principi, vt id faciat cum conſenſu eorum. Cum alias oppignoratio aut alienatio parum valitura ſit: Quippe contra legem regni facta, quæ & iuramento regis & procerum plerumque eſt confirmata. Vide Pruckm. *in §. ſoluta poteſtas.* Petrum Heigium *part. 1. quæſt. cap. 19.* Choppin. *de doman. Franciæ lib. 2. c. 1.* Innocent. Gentil. *de regno pitheor. 1.* Bodin. *1. de Rep. c. 9. & 6. c. 2.* Hotom. *de Iure ſucceſſ. regni c. 1. & in Francogallia c. 8. 9. 20.* Vaſquium Coppium, &c.

CAPVT X.

DE PROFANATIONE RERVM ſacrarum.

QVIN quod etiam extrema neceſſitate vrgente profanare liceat res ſacras.

REgula eſt, Quod Deo ſemel dicatum, amplius profanari non poſſit & in vſus humanos transferri. Cæterum Bonum publicum & neceſſitas longe aliud ſuadent Exempla in ſacris adſunt. Dauid cum periclitaretur fame, non veritus eſt comedere panes propoſitionis, neque ſacerdotes id renuerunt, cum alias nefas eſſet panibus illis veſci, exceptis ſacerdotibus & Leuitis. Et alia in libris regum & Chron. paſſim occurrunt. Refert exemplum Valerius Maximus *lib. 7. c. 6.* aurea atque argentea templorum ornamenta, ne militibus ſtipendia deeſſent, eſſe conflata. Et Cuſpinianus de Heraclio Imp. ſcribit, eum cum neque copias, quæ hoſtibus pares forent, neq; pecuniam haberet, aurum & argentum ex Magno templo Conſtantinopolitano & aliis ſacris ædibus mutuatum ſignaſſe pecuniam. Idem de Petro Arragon. Rege *lib. 11. 202. Hiſpan.* Idem de Ferdinando Arragonio Rege Neapolitano Pontanus refert *lib. 2. belli Neapol.* & de Papa Clemente VII. Iouius in Pompeio Columna. Ita Fridericus Ænobarbus cum premeretur inopia, com-

meatus & loca ſacra inuaſit, poſtea Epiſcopatus illorum inſigni & amplioti beneficio remunerauit. Friſingenſ. Arnold. Clapm. *lib. 4. cap. 22.* Latius vero hoc ius deducit Couarr. *lib. 3. reſolut. tom. 2. cap. 14. n. 7. p.* 2. Roland. à Valle *conſ. 80. num. 11. p. 3.* Menoch. *de arbitr. iud. q. lib. 2. centur. 2. caſ. 112. num. 31.* textus eſt *in l ſancimus* C. *de SS. Eccleſ. c. cum aurum. q.* 12. Ioh. Copus *deciſ. 59. n. 23.* Ioh. Harprecht *t. de rer. diuiſ.* Rancinius *de iurib. princip. lib. 6. cap. 22. fol. 288.* Andr. Knichen *de iur. ſuperior. c. 4. num. 399.* Refert Camerar. *in Oeconom lib.* 2. Quod Byſſantij in pecuniæ penuria publicos lucos & loca ſacra vendiderunt, Fructuoſa quidem ad certum tempus, ſed infructuoſa ad proprietatem perpetuam. Itemque ea, quæ ſodalitates poſſidebant, & quæ ad ſacra gentilitia pertinebant cum alia, tum in agris priuatis ſita. Nam hæc magno emebant ij, quorum reliqua erat poſſeſſio. Sodalitiis autem tradebant publica alia, quæ erant circa gymnaſium, aut forum, aut portum, nec non forenſia loca, vbi aliquid vendebatur. Præterea ſalinas maris & ſalis mercaturam.

Sed ad hoſce modos extraordinarios princeps vel reſp. non niſi extrema & ineuitabili neceſſitate proſiliet. Quin quod etiam è re publica ſit in hiſce modis vrgente neceſſitate delectum habere, qui honeſtius & vtilius, adeoque cum bono publico, eo facilius admitti & excuſari poſſit. Eſtque hîc inprimis regula Iuris ob oculos habenda: Non quod licet, nec quod expediat, ſemper honeſtum eſſe. Si tamen interdum ob telum neceſſitatis ab ordinaria via exorbitandum ſit, accuret princeps, vt id publica & communi vtilitate repenſetur, &c.

Finis libri ſecundi.

LIBER

LIBER TERTIVS DE REDITIBVS PVBLICIS, QVI FORTVITO ET CASV FISCO ACCIDVNT.

Capvt I.

QVID, ET EX QVIBVS CAVSIS REDITUS publici incidentes.

HÆc de certis Ordinariis & Extraordinariis reditibus publicis: Sequuntur incidentes. Quales ſunt, qui forte fortunâ interdum incidunt, & iure publico fiſco competunt, quaſi è re profecti publica: Vtpote è Bonis vacantibus, feudis caducis & mercibus commiſſis: è bonis indignorum, contrahentium inceſtas nuptias, proſcriptorum, committentium crimen læſæ Maieſtatis, theſauris in loco publico inuentis, vel participatione theſauri, ſpoliis hoſtium, deuictorum tributis & penſionibus ſociorum.

QVi modi non in poteſtate, ſiue manu Principum aut Reip. eſſe videntur, ſed fortunæ potius commiſſi, & propterea ob naturam differentem ab ordinariis & extraordinariis reditibus ſeparandi: qua de cauſa etiam Fortuiti & Incidentes dicuntur, qui tamen nihilominus ſuo iure & æquitate innituntur, quanquam pro varietate rerump. & principum arbitratu admodum varient. Nam iure Ciuili reperias Bona, quæ fiſco ceſſere olim, hodie tamen eo iure non cenſeri, puta bona proſcriptorum, &c. Habet enim fere vnaquæque Reſp. ſua ſingularia. Nec ab omnibus omnia probantur & adſumuntur. Hic ergo neceſſe eſt Principes & Politicos ex delectu ſeligere id, quod æquum & bonum ſuæ Reip. eſt, nec cum iure diuino, naturali aut gentium è diametro pugnat. Cauſæ vero ex quibus hi incidentes reditus proficiſcuntur, ſunt variæ, puta, Bona vacantia, feuda caduca, merces commiſſæ, bona damnatorum, theſauri, penſiones ſociorum, & tributa deuictorum, ſpolia hoſtium, & quæ ſunt eius generis aliæ.

Capvt

CAPVT II.

DE BONIS VACANTIBVS.

BONA vacantia ſunt eorum, qui ſine herede decedunt, & proinde Reip. cedunt.

EX incidentibus reditibus publicis cenſemus Vacantia bona eſſe, quæ alias Caduca ſpeciatim, de quibus lex Iulia Papia Caduciaria olim Vlp. *in fragm. tit. 28.* Namque & generatim quæuis bona, quæ in fiſcum cadunt, Caduca dicuntur. *l. 3. D. de his quæ in teſtam. l. 2. ſi quis aliquem teſtari. l. vn. C. de SCto Syllan.* quando quis inteſtatus nullum ex qualibet linea ſanguinis vel iuris titulo heredem reliquerit. *l. 1. C. de bon. vacant. lib. 10. l. penult. C. de præf. ſacr. cubil. l. vlt. C. de petit. bonor. ſubl. lib. 10. l. vacantia. C. de bon vacant.* Propterea aſcendentibus & deſcendentibus, collateralibus, &c. non exiſtentibus, bona vt vacantia Reip. deferuntur: vel, vt loquitur Vlp. *in Inſt. fragm tit. 28.* [*Si nemo ſit, ad quem, bonorũ poſſeßio pertinere poßit, aut ſit quidẽ, ſed ius ſuum amiſerit: æque vacantia habenda eſſe.*] Quanquam & Caduca *in l. vn. C. de cad. toll.* bona habeantur, quæ viuo teſtatore poſt conditum teſtamentum deficiunt, ſic vt fiſco non vindicentur, ſed penes heredem remaneant cum onere iis deſcripto. Hic vero Caduca & Bona vacantia intelligimus, quæ nullum habent heredem. Quod publica inquiſitione & diſcuſſione explanari oportet. Boſſ. *in tr. de bon. vacant. n. 4. & 12.* facit text. *l ſi eo tempore D. de remiſſ. pign.* Item *l. vlt. C. de bon. vacant. l. defenſ. C. de iure fiſci. l. prohibitum. C. eod.* Paul. *lib. 5. ſentent. t. 12.* Æquitas autem huius compendij eſt quod vacantia non amplius dominum habere intelligantur, & propterea merito Principi ſiue Reip. cedant. Vnde & inter regalia *in c. quæ ſint regal.* referuntur. Quod ius & ante conſtitutum videmus *in l. 13. l. vacantia. l. vlt. C. de bon. vacant. l. vlt. C. de petit. bonor. ſubl. l. vn. C. vnde vir & vxor.* quod hæc bona Imperatoris fiſco incorporari, id eſt, inferri debeant. Olim enim ex lege veteri Caduciaria eiuſmodi bona populi habita. Vlp. *in fragm. t. 28.* Verum cum Princeps ius populi in ſe translatum acceperit, vtique etiam ius bonorum vacantium. *l. in toto. de R. I.* Solus ergo princeps hodie, vti olim populus, ſibi vendicat bona vacantia: Quocirca priuati recte excluduntur, quaſi illis liceat eiuſmodi bona occupare, veluti Dominum non habentia. Bodin. *lib. 1. cap. 10. de rep.* vel quaſi vt pro derelicto habita inuentoribus vel magiſtratibus quibuslibet cedant. Cum res pro derelicto habitæ ſint, quas Dominus eo animo abiicit, vt ea amplius in bonis habere nolit. *l. 1. D. pro derelict.* §. 42. *Inſtit. de rer. diuiſ. & acquir.* Quod de ciuitatibus ſiue rebuſpubl expreſſe cautum eſt *l. 1. C. de bon. vacant.* Et generatim prohibetur *in l. vlt. C. de petit. bonor. ſubl.* Quo iure Reges Galliæ vtuntur. Rebuff. *in l. caduca. de V. S.* Verum enimuero hodie eo deuentum eſt, vt hoc ius bonorũ vacantium nõ tantum ciuitates ex priuilegio Principis, vel præſcriptione & conſuetudine: verum etiam omnes fere, qui iuriſdictionem criminalem in territorio ſuo habent, vſurpent. Reg. Sixtin. *cap. 11. de regal. n. 36.* Quandoquidem hiſce modis regalia acquiri poſſe conſtitutum. *c. ſuper quibuſdam §. præterea. extr. de V. S.* Borch. *in c. quæ ſint regalia cap. 6.* de qui-

de quibus Boſſius latius *in tit. de bon. vacant.* Petr. Heig. *lib. 3. Inſtit.* An vero etiam Vtenſilia Die Gerade / & Res expeditoriæ Das Heergerethe / ſi defunctus aut defuncta agnatum vel cognatam in Saxonia non reliquerit, magiſtratui cedant? vel potius agnato aut cognatæ heredi alienigenæ, diſputat Andr Rauchbart. *p. 2. q. 19.* & poſterius iure concludit, fac. *conſti. Elector. fin.* & *ibi* Dan. Müller. *p. 3.* Nullis autem heredibus extantibus aut incapacibus, merito etiam eiuſmodi res iudici ſiue magiſtratui loci cedunt, ob ſupra allegatam rationem. Quo ſenſu textus iuris Saxonici Landtrecht / *lib. 1. art. 28.* accipiendus. Andr. Goldeccius *de tert. ordin. ſucceſſ. geradæ.* Schneidw. *de hered. quæ ab inteſt. de ſucceſſ. fiſci.*

CAPVT III.

DE FEVDIS CADVCIS.

EX feudis quoque, quæ vel finiuntur, vel amittuntur, Principes augmentare ſolent ærarium.

VVlgo Die Lehensfelligkeit / Feudalia enim beneficia, quamuis amore Domini conferuntur, attamen fidelitatis & ſeruitiorum cauſa & cum conſenſu vaſalli etiam concedi intelliguntur. Itaque cum nihil tam naturale ſit, quam conſenſu contractum diſſenſu diſtrahi: & contrario actu diſſolui, ideo fit interdum, ſed rariſſime, vt vaſalli refutent ſua feuda, modo ne id in præiudicium agnatorum, aut ſimul inueſtitorum fiat. Herm. Vult. *lib. 1. de feud. cap. 11. n. 9.* Molinæ. *de iure primog. lib. 1. cap. 8. n. 30.* Deinde feudũ amittitur & redit ad dominũ, culpa commiſſionis & omiſſionis ſiue Felonia, de qua latiſſime *in libris feudor.* & Dd. *in comment.* agunt; puta, ſi vaſallus dominum nondum mortuum, neq; etiam lethaliter vulneratum in prælio campeſtri relinquat. Borcholt. *cap. 8. n. 86.* II. Si vaſallus dominum inſectetur vi & inſidiis. Sonsbec. *p. 12. n. 37.* Mozz. *n. 27. Ex quib. cauſ. feud. amitt.* III. Si reuelet ſecreta. Borch. *d. cap. 8. n. 126.* IV. Si recuſet ſeruitia. Hotom. *diſp. feud. 41.* V. Si vaſallus intra legitimum tempus non petat inueſtituram. Hart. Hart. *de feud. obſeru. 8. &* 11. Weſenb. *de feud. cap. 8.* Duar. *cap. 14.* Quo tamen caſu ſolet purgatio moræ æquitatis ratione admitti Roſenth. *c. 6. concluſ. 107.* Guido Pap. *dec. 166.* VI. ob contumaciam. Vult. *n. 24.* Zaſ. *p. 10. num. 57.* & alij. VII. Illationem impiæ manus. Roſenth. *c. 10. concluſ. 22.* Curtius Iunior. *part. 4. cauſa 4.* VIII. Iniuriis quoque amittitur. Borch. *d. cap. 8.* IX. Si vaſallus faceſſerit negocium Domino, ex quo graue diſpendium Zaſius *p. 10. num. 40.* Sonsbecius *p. 12. n. 46.* Vult. *n. 27.* X. Si feudum vel partem eius inficietur dolo malo. Borch. *cap. 8. n. 15.* Roſenth. *c. 10. concl. 79.* Vult. *n. 28.* XI. Si contrahat amicitiam cum inimico Domini & hoſte. Weſenb. *cap. 15. n. 5.* Vult. *n. 29.* XII. Cucurbitatione Domini. Hotom. *diſp. feud. 41. & in Lexico.* Vult. *n. 31. & ſeqq.* XIII. Iniuriis perſonis cognatis Domini illatis. Vult. *n. 32.* Weſenb. Roſenth. Zaſius & alij, vbi multos modos iure definitos referunt, quibus iniuria per indirectum Domino infertur. XIV. Inuaſione caſtri Domini. Vult. *n. 38.* XV. Deterioratione notabili & doloſa rei feudalis. *n. 39.* XVI. Alienatione.

tione. Borch.*c.8.n.18.*Blancus.*2.feud.n 69.&c.* Vult.*n.42.* XVII. Si vaſallus ſciens periculum Domino imminens non præcaueat.Sonsbec.*p.12.n.10.*Vult.*num.47.*Si Dominum incluſum carceri non liberet.Borch.*cap.8.n.14.*Clar. *in* §.*feud.q.24.n.2.* Vult.*n.48.*An ob aſſaſſinium in alium,non in Dominum commiſſum? Affirmat Iſernia. An ob ſtuprum violentum in puellam non viripotentem? Videtur affirmare Vulteius ex generali regula. Quod tale delictum mortem mereatur. Vide Schraderum & alios feudales ſcriptores: & nos quoque in noſtro tractatu pluribus declarabimus. Ex quibus patet, multis cauſis vaſallum cadere poſſe feudo, quod viciſſim ad Dominum reuertitur.

Denique redit feudum ad Dominum deficientibus heredibus maſculis eiuſdem lineę,quod tamen fit rariſſime.Sed ſolent Principes cautiores ſibi proſpicere certis pactis, vt tantum ad certum gradum, puta ſeptimum vel inferiorem in eadem familia durent,quo deficiente,recurſus feudorum facilior reddatur.

CAPVT IV.

DE BONIS COMMISSIS DEFRAVDAtione Vectigalium.

IVRI publico principis vel reip. quoq; cedit, cum defraudantes gabellas, non ſoluendo, quod debent, omnes merces quas vehunt, perdunt, **Wann ſie den Zoll vberfahren.**

QVod iure fit *l.fraudati vectigalis.l.commiſſa.l.fin.* §. *Diui. de Publican. l.cum proponas.C.de naut.fœn.l.qui fiſcal.C.de nauicular.lib.11.l.ſi quis.C. de curſ.publ.*Schneid. *in feud.p.2.num.114.*Hart.Hart.*lib.2.obſeru.48.*Nec obſtat *l.ex præſtatione C.de vectigal.* quæ octauam tantum exigit in hoc caſu,quæ non loquitur de pœna,ſed de quantitate vectigalis.Modeſt.Piſtor.*conſil.48.num.15.verſic.ſed certe.p.2.*Niſi quis vectigal intimatum,errore negligat ſoluere,quo caſu duplo octauæ partis punitur. *l.fin.*§. *Diui & 2.de publican.* Hart. Hart. *lib.2.tit. 48.obſeru.2.* Adeo vt etiam confiſcatio in defraudatione vectigalium in terris Saxon.obtineat. Coler. *proceſſ.execut. p.1.cap.3. num.74.*Schneidw.*p.2.feud,c.114.*diſſentiente Landtrecht.*lib.2.art.27.*Quod longa conſuetudine obtinuit,quæ alias, præſertim vero in vectigalibus, ſpectanda *l.32. de LL.l.1.& 2.C.quæ ſit longa conſuetud.l.ſi publicanos* §.*fin. de publican.* Modeſt. Piſtoris *d.conſ.49.n.16.p.2.*Ampliationes huius iuris vide apud Copum *deciſ.50.n.10.*Coler. *p.1.c.3.n.76.*Hart.Hart.*lib.2.tit.48.obſeru.1.* Ripa *in tr.de peſte tit. de remed.ad conſeruat. vbert.n.104.* Ferret. *de gabell.nu.143.*Coler.*deciſ.189.& 190.* Late vero ſcripſiſſe fertur de hac materia Fran. de Claper. in fol. Adeo vt etiam perſonæ immunes, puta ſcholares,clerici,nobiles,profiteri teneantur merces ſuas & literas immunitatis oſtendere, **Paßbrieff oder Freyzettel.** *l.fin.*§.*Diui. & ibi Dd.de publican.*Copus *n.13.*

CAPVT

Capvt V.

De bonis erepticiis, quæ indignis auferuntur.

Svnt quoque bona, quæ indignis ex cauſa ablata, fiſco inferuntur, quæ ideo Erepticia dicuntur.

QVæ bona quidem adquiruntur illis, quibus competunt iure, ſed viciſſim eripiuntur vt indignis, & propterea Erepticia dicuntur. Vlpian. *in fragm. tit. 17.* & in fiſcum conferuntur. Quæ icciRco inter regalia recenſentur *c. 1. quæ ſint regal.* Quod olim & iure ciuili conſtitutum *l. Papinian. §. meminiſſe. de inoff. teſtam. l. cum mortem. D. de iure fiſci. l. cland. D. de his quibus vt indig. auf. l. heredes. C. eod. l. vn. C. de caduc. toll.* Principi itaque, non ciuitatibus hæc debentur bona. Bl. *in l. 1. C de his quib. vt indign. per l. 1. C. de bon. vacant. lib. 10.* Quippe quod Principi πρώτως regalia competant. Petr. Gregor. *lib. 42. ſyntagm. c. 14 n. 1.* Peregr. *de iure fiſci t. 2. n. 8. per l. 1. l. Lucius 9. de iure fiſci.* Petr. Heig. *p. 2. quæſt. 33. n. 16. & ſeqq.* niſi ciuitates hoc ius priuilegio vel præſcriptione immemoriali adquiſierint *c. ſuper quibuſdam. §. præterea. extr. de V. S.* Borch. *in c. 1. quæ ſint regalia.*

Cæterum cauſæ variæ eſſe poſſunt, quæ partim iure ciuili diſpoſitæ inueniuntur, partim arbitrio principis relinquuntur, cum multo plures eſſe poſſint, quam quæ iure ciuili definiuntur. Petr. Heig. *p. 2 quæſt. 33.* Valent. Förſter. *lib. 9. ſucceſſ. c. fin. num. 2.* Borcholt *in c. quæ ſint regal num. 8.* Proſp. Farinacius *lib. 1. de delict. & pœn. cap. 25.* Ex quibus bona eripiuntur & fiſco cedunt. Quamuis & bona plurima ex aliis cauſis indignis eripiantur, quæ tamen non fiſco, ſed aliis, quibus iure competunt, addicantur. Caſus habes *in l. 1. C. de ſecund nupt. l. ſi legatarius. C. de legatis. l. poſt legatum. §. amittere. D. de his quibus vt indignis. n. 115. §. his caſibus. & Auth. Captiui C. de Epiſcop. & cleric. d. l ſi legatarius. C. de legat. l. ſi patrem. §. qui fideicom. cum aliquot §§. ſeqq. D. ad SCt. Trebell. l. nec auus. C. de hered. inſtit. l. ſi ab hoſtibus §. fin. ſoluto matrim. Auth. liberi furioſi. C. de Epiſco. audient. n. 115. ſi quis prod.* Cauſæ quæ iure ciuili definiuntur, potiſſimum viginti & vna recenſeri ſolent à Dd. puta. Si quis necem defuncti non vindicauit *l 1. & l. ſorores. C. de his quib. vt indign.* quod crimen eſt ingrati heredis *l. Caius fere. de Syllan.* II. Si heres dixit falſum teſtamentum defuncti *l. 2. C. h. t. 5. §. ſi pater. l. hered. D. eod.* niſi ante ſententiam heredem pœnituerit *l. edicto §. fin. D. de iur. fiſci.* III. Si quis fidem teſtatori accommodauerit tacite de reſtituenda hereditate & legato, ei qui incapax tempore teſtamenti & mortis. *l. in fraudem. §. ſi quis ei D. quib. vt indignis. l. non intellexit. de iure fiſci.* IV. Si quis teſtamentum inofficioſum dixerit *l. Papinianus. §. meminiſſe. de inoff. teſtam.* V. Si quis teſtamentum quaſi probroſum incuſet. *l. cum ſecundis tabulis. h.* VI. Si teſtatorem heres occiderit. *l. cum ratio §. fin. de bon. damn.* VII. Si quis teſtatoris liberos aut vxorem occiderit. *l. his conſequenter §. 1. famil. erciſcund.* VIII. Si quis defunctum grauis delicti reum fecerit, aut ſtatus controuerſiam mouerit *l. 1. l. manumittere. D. h. t.* IX. Si quis contra

tabulas bonorum possessionem petierit. *l. 2. in pr. D. eod.* X. Si quis alium testari prohibuerit vel coegerit.*l. 1. D si quis alium test.* XI. Si testator indignum declarauerit in testamento.*l hereditas 4. C. de his, quib vt indig. bon. aufer.* XII. Si culpa alicuius testator interierit.*l. indignis D. h. t.* XIII. Si paterfamilias à familia dicatur necatus, & heres nihilominus adierit hereditatem, antequam innocentes inquisitum & animaduersum.*l. si ea quæstio. l. minoribus C. eod.* XIV. Si meretrici aliquid relictum à milite.*l. mulierem. 14. C. eod.* XV. Si quis damnatam adulterij in vxorem duxerit. *l. Claudius. D. h. t.* XVI. Si quis matrimonio sibi societ eam ex prouincia, in qua officium gerit.*l. aufertur. h. t.* XVII. Si tutor pupillam suam duxerit. *d. l. aufertur. h. t.* XVIII. Si quis vxorem testatoris corruperit. Dd. *in l. sororem. l. tene. C. h. t.* XIX. Si quis capitales inimicitias cum testatore habuerit, aut eidem maledixerit. *l. 9. h. t.* XX. Si quis hereditatem compilauerit. *l. rescriptum. 6. h. t.* XXI. Si quis improbum pactum de viuentis adhuc hereditate fecit *l. quidam §. fin. l. seq de donat. l. 2. D. quib. vt indig.* Quas causas refert Sixtin. *de regal. cap. 12. n. 4. & seqq.* quæ tamen partim in desuetudinem abierunt. Ex quibus vero causis hodie obtineant Bona Ereptitia, vide *const. Caroli V. crimin. art. 218.* Vnd sonsten in andern Fällen. Item *const. Elector. tit.* Von Vnkosten der Peinlichen Rechtfertigung. *p. 3. constit. 26.* Beust. *de matrim. q. 6.* Eleganter vero pertractauit. Petr. Heig *p. 2. quæst. 33.* fisco hereditatem etiam parricidæ deferendam, non cohæredibus. Et quod liberi, frui cupientes hereditate paterna teneantur vindicare necem patris, etiam inuiti: Alias indigni sint hereditate *per l. heredem 17. de his quib. vt indignis. l. 1. l. minoris 6. & l. seq. l. cum fratre 9. l. seq. C. h. t.* Gomez. *resol. cap. 3. n. 36.* Petr. Placa. *de delict.* Landtrecht *artic. 43. & 64. lib. 1. & art. 16. lib. 2.* P. Heig. *p. 2. quæst. 34. n. 10. & seq.* vbi contra sentientes refutat.

CAPVT VI.

DE BONIS PROSCRIPTORVM ET damnatorum.

EX bonis quoque deportatorum & damnatorum mortis pœna vel maxima & media capitis deminutione, olim fiscus augebatur.

POliticis, ICtis & Impp. non conuenit: An bona damnatorum & proscriptorum auferenda heredibus & fisco deputanda? Iure quidem ciuili ita constitutum est, vt bona proscriptorum, id est, deportatorum (vti interpretantur communiter Dd. *in Auth. Bona damnatorum & c. 1. quæ sint regalia*) vti etiam dominorum morte, nec non maxima & media capitis deminutione *l. 1. de bon. damnat. l. in metallis. C. eod.* fisco inferrentur *l. sed si alia. & l. cum ratio §. fin. de bon. damnat. l. 2. & 3. C. eod. l. deportator. C. de pœn.* Quod etiam in relegatis obtinuit, si per sententiam bona ademta fuerint. *d. l. deportator. & d. l. cum ratio §. fin. de bon. damnat.* Quod ius temperatum fuit ab Impp. vsque ad dimidium fisci, vt reliqua pars liberis deberetur *l. vlt. C. de bon. proscriptor.* Quin multis liberis extantibus, vt omnia bona, excluso fisco *d.*

l. cum

l.cum ratio §.*si plures.de bon.damnat.* Iustinianus vero *n.134.* §. *fin.* promiſcue vſq; ad tertium gradum *Auth.Bona.C.de caduc.* Quod ius poſtea inter Regalia relatum *d.c.* 1. *quæ ſint regalia.* Regn Sixtin. *c.14.n.14.* Boſſ.*de publicat.bonor.* Item Clar. §.*fin.quæſt.* 78. *& ſeqq.* vbi obſeruandum ait, in toto mundo rem eo deueniſſe, vt communi conſuetudine à iure communi confiſcationis bonorum receſſum ſit, excepto crimine læſæ Maieſtatis *per text.in l.quiſquis* 5. *C.ad L.Iul.Maieſt.*& in crimine hæreſeos. *text.in Auth.Gazaros.& in c.vergentes extr.de hæretic.* Menoch. *arbitr.2. caſu.*374.*nu.*3. Girland.*de hæret.q.*5 *n.*7.Gomez.*tom.*3.*reſolut.c.*2.Proſp.Farinac.*lib.1.de delict.& pœn. t.*3.*q.*25 contra quos P.Heigius *lib.*2.*q.*33.diſputat. Adde Conrad. *in pr. tit.de publicat.bonor.* Galicium *in Margarita fiſci.* Latiſſime Caſſanæus *in conſuetud. Burgundiæ.* Boſſius *tit.de publicat.bonor.*Ant.Gomez. *t.*3.*cap.*14.*t.de confiſcatione.* Coler.*deciſ.*108. Diſputant ergo Politici non immerito, Vtrum præſtet bona proſcriptorum propinquis, quam Reip.adiudicari? De qua quæſtione eleganter Ioh. Bodin. *lib.*5. *de rep.c.*3 Borcholt.*n.*81. *& ſeq.in c.vn.quæ ſint regalia.* Roſenthal *in feud.concl.*69. Quod quidem ius principale eſt & regium *l.vn. C.ne ſine iuſſu Iud. liceat cert. ind. conf.l. confiſcare C.de iure fiſci.*Petr.Gregor. *lib.*9.*de rep.c.*1.*n.*32. Et ſi bona adimenda damnatis, anne potius Deo conſecranda, quam principi adiudicanda ſint? *Caſus* 6.*Sphær.* 5.Bodin.5.*de rep.*3 Spartia. *in Adrian.* Cæterum prudens legiſlator ex æquo & bono terminos proſcriptionis bonorum conſtituet, nec contra ius diuinum naturale & gentium heredibus quod debetur adimet, de quo dicam fuſius *in tr.de pœnis.*

CAPVT VII.

DE BONIS CONTRAHENTIVM *inceſtas nuptias.*

BONA quoq; contrahentium inceſtas nuptias fiſco cedunt.

IVris ciuilis *& c.*1.*quæ ſint regalia* diſpoſitione *l.ſi quis inceſtum.C.de inceſt.nupt.n.*12. §.*ſancimus.* Deficientibus nimirum parentibus & liberis vſque ad gradum tertium, excepto crimine læſæ Maieſtatis *n.*134 §.*vlt.Auth. Bona damnatorum. C.de bon. proſcript.*Boer.*deciſ.*164.*n.*2. Regn. Sixtin. *c.*13.*de regal. n.* 18. *& ſeqq.* vbi per aliquot diuerſas quæſtiones hanc materiam latius declarat.Borcholt. & Dd. *ad c.*1. *quæ ſint regal.* Adde Proſp.Farinac. *in tr.de delictis carnis.q.*149.*t.*16.vbi latiſſime.

CAPVT VIII.

DE BONIS COMMITTENTIVM CRIMEN *læſæ Maieſtatis.*

BONA ſane committentium crimen læſæ Maieſtatis hodie fere vbiq; fiſco inferuntur.

QVod crimen primum & maximum dicitur *in l. religio. C. Theodos. de indult. crimin.* Quale est, quod aduersus populum Romanum, siue eius securitatem committitur, idque in statu populari: At in Monarchico, quod aduersus Principem & eius securitatem. *l. 1. in pr. D. ad L. Iul. Maiest. arg. l. 1. D. de constit. princip. §. sed & quod principi.* Huc pertinet *totus tit. D. & C. de crim. læs. maiest.* Liui. *lib. 2. decad. 1.* Rosin. *8. antq. Roman. c. 23.* Manut. *de LL. Roman. p 240.* Adde Clarum *lib. 5. sentent. §. læsæ Maiestatis.* Boss. *tract. crim. tit. de crim. læsæ maiest.* Gregor. *3. syntagm. cap. 1.* Borcholt. *in cap. 1. quæ sint regalia.* Quamuis etiam Interpretum iudicio in principem recognoscentem superiorem. Mynsing. *5. obseru. 41. num. 2.* Peregrin. *de iur. fisci c. 5. num. 14.* Decian. *in tract. crimin. 7. cap. 4. num. 7* Et in Electores, qui Imperatorem Romanum recognoscunt, committatur. *Aurea Bulla Caroli IV.* Regner. Sixtin. *cap. 22. de regal.* Huius criminis pœna vulgaris est publicatio bonorum. *l. quisquis. ad L. Iul. Maiest. c. 1. quæ sint regal.* etiam adscendentibus & descendentibus extantibus, cum *l. quisquis* generaliter loquatur, *& l. 11. §. vlt. C. eod.* Regn. Sixtin. *nu. 18. c. 22.* Est & singulare in hoc crimine, quod conscij criminis eadem pœna teneantur *l. 5. §. pœn. C. eod.* Menoch. *de arbitr. cas. 315.* Viuius *2. opin. 246.* Et quod filij infamia notentur Gomez. *3. resolut. 2. n. 16.* Gigas *lib. 2. de crimin. læs. maiest. q. 4. n. 6.* Couarr. *2. resolut. 8. n. 5.* Vasq. *de success. creat. §. 12. num. 12. &c.* Nobis hic satis sit scire, ob crimen Maiestatis omnia bona publicari & confiscari. De quo late Gigas, Contius, Gentilis, Bocerus, Prosp. Farinacius, Tib. Decianus, & alij agunt. Quæ bona & ex qua causa hodie cedant fisco Imperatoris, vide Tob. Paurmeister *lib. 2. de iurisd. cap. 4. n. 120.*

CAPVT IX.

DE THESAVRIS.

THESAVRI quoq; in loco Cæsaris inuenti non data opera vel loco religioso, dimidium: si data opera, totum ad eum pertinet.

ID est, ad Principem *c. vn. quæ sint regalia.* Est autem thesaurus proprie vetus pecuniæ depositio, vt iam Dominum non habeat. *l. nunquam §. 1. de acquir. rer. domin. l. vn. C. de thesaur. lib. 10. l. 2. C. Theodos. eod.* Requiritur ergo, vt sit vetus depositio, cuius memoria non extat, *l. si quis. de acquir. rer. domin. d. l. fin. C. de thesaur. lib. 11.* Si enim adhuc Dominum habet, vtique sine facto Domini ad alium transferri non potest. *l. 11. de R. I.* Casus est *in l. à tutore D. de rei vendicat.* Thesaurum vero esse, affirmanti probandum est. Non vero esse, constiterit facile ex genere monetæ. Alciat. *parerg. lib. 1. cap. 7. num. 2.* Regner. Sixtin. *de regal. cap. vlt. num. 5.* Additur autem: Non data opera, id est, nec magicis artibus. Est enim donum fortunæ *d. l. si quis. D. de acquir. rer. domin. d. l. fin. ibi.* verba Ducente fortuna, id est, beneficium DEI *d. l. vn. C. de thesaur.* quod fauente Deo obtingit. *l. fin. C. Theodos. eod.* de quo latius Borcholt. *de regal.* & Iohan. Harprecht. *in §. thesauros. Instit. de rer. diuis.* Petr. Heig. *p. 1. quæst. 13. num. 54. & seqq.* Coler. *in decis. 90.* Prosper. Farinac. *in var. quæst. quæst. 104. in-*

spect.1. Menoch *præsumt.lib.5.præsumt.30.num.10.* Peregrin.*lib.4.de iure fisci tit.2.rubr. de thesauris.* Pinginzet *in quæst. iuris ciuil. & Saxon.* Adde Montecatinum *ad LL. Platon. cap.11.* Andr. Knichen *de priuileg. Duc. Saxon. p. 134. constit. Elect. 53.p. 2.* Renat. Choppin.*de LL.* Andium cap.61. Marq. Freher.*lib.1.parerg.cap.4.* De quo & Adrianus Cæsar Ælio Spartiano *pag.13. de thesauris* ita cauit, *vt si quis in suo reperisset, ipse potiretur: si quis in alieno, dimidium Domino daret: si quis in publico, cum fisco æqualiter partiretur.* Dehortatur vero à studio fodiendi thesauros autor libelli istius, qui vulgo Froschmeusell dicitur *lib.1.c.18.* quod & res vana, & si magicis artibus innitatur, detestanda. Quam propterea & iura diuina & humana damnant. Leo *nou.51.* Paul.*1. sentent.tit.de sepult.* Ammian. Marcell. *lib.14.* Paul. Grilandus *de sortileg.q.3.num.12.* Delrius *in quæst.magicis* late. Olim fodiendorum retinendorumque thesaurorum facultas impetranda erat à Principe. Alioquin quicquid inuentum erat, nisi indicatum esset, committebatur fisco. Quo prætextu Nicephorus Phocam Imp. multa à priuatis extorsisse, & Cedrin. scribit, vt notat Freher.*lib.1.parerg.4.* [*A magistratibus res eorum iussit inspici, qui ex paupere ad copiam subito emersissent, pecuniam postulari.*] Ita quoque de quodam Cæs. Iulian procuratore Eutrop. & Aurel. testantur, qui compulit diuites: Quæ habes? Vnde habes? Pone quod habes. Et factum fuisse idem tempore Leonis Imp. apparet *ex nou. 51.* Portionem vero fisco ex thesauro legitime quæsito & inuento deferri, æquum & publicum bonum postulare videtur. Fiscus enim & Resp. non modice læditur, quod pecunia tamdiu ignorata & ociosa in terra delituit, multumque ob eam causam collationibus decessit. Neque enim id peculij, quod thesaurus habetur, in censum deferri, neque ex illis ea munera quæ patrimoniorum vocantur, pendi solent. Adde quod Farinacius dicat, hodie de moribus fere totius orbis thesauros ad reges & principes pertinere *d.loco num.32.* Couarr.*in c.peccatum p.3.§.2,num.4.de R.I.in 6.* Denique ociosa res est pecuniarum moniliumque defossio, per quam & genius defodientis & census publicus, & ipsi sæpe heredes defraudantur. Ideoque etiam iure prohibitum, ne pecunia sepeliatur *l. 4.§. non sit locus. D. ad L. Iul. pecul. l. 26. de religios. & sumt. fun.* Marquar. Freher. *d. loco*, qui & olim ad effodiendos thesauros vespillones & pollinctores adhibitos fuisse obseruat ex Martiali, & ex Plauto *in Pseudolo.*

Ex hoc sepulchro veteri emam ego hodie viginti minas. Confer huc Camerarium *p.2. Meditat.cap.40.* & Arumceum *in quæst.iuris,cap.de thesauri inuentione.* & Pingizzerum *in quæst.iuris Saxon. & Ciuil.*

Capvt X.

De Spoliis Hostium et Lytris Captiuorum.

Ex spoliis quoque hostium ærarium interdum augescit.

Spolia

SPolia hoſtium ad ius belli pertinent. Alber. Gent. *de bello.* Æmil. apud Liuium: [*In ſpoliis arbitrium eſſe Impp. non militum.*] Exempla ſunt in ſacris. Ioas (victo Amazia) aſſumto toto auro & argento, omnibuſque vaſis, quæ inuenta ſunt in domo Iehouæ & in theſauris regis, etiam obſidibus, reuerſus eſt in Samariam *2. Reg. 14 v. 14. 2. Chron.* 28. *v.* 8. De iure Ciuili diſtinguere ſolent Dd. Nam militibus ſpolia concedi iure Bodinus negat *p. 1007.* Vnde alij diſtinguunt, vt præda prælio capta ſtatim noſtra ſit, ſed exitu belli occupata immobilia publicentur, & in fiſcum redigantur §. *item ea* 15. *Inſt. de rer. diuiſ. l. 5* §. *fin. l. transfugæ* 51. *D. eod. l. ſi quid* 28. *D. de capt. & poſtlim. reuerſ.* Gœd. *in l. 3.* §. *1. n. 5. & ſeq. de V. S.* Vacun. *2. declarat. 35.* Bocer. *de bello & duello c. 15.* Couarr. *in c. peccatum p. 2.* §. *11.* Vaſqui. *1. de teſtam.* §. *1. n. 45. c. dicat. 23. q. 1.* Harbrecht. *in* §. *ſpolia hoſtium. Inſtit. de R. D.* Cęterum de ſpoliandis ædibus & rebus ſacris Politicis & Militibus non conuenit. Politici ſane abſtinendum ſuadent à rebus ſacris, more & exemplo Romanorum. Liu. *lib. 1.* [*Templis tamen Deûm, ita enim edictum ab rege fuerat, temperatum eſt. Item edictum fuit, vt auro ſacro abſtineretur.*] At contra Stratiotæ:

Diuinas ſpoliare domos, ſacra tollere vaſa,
Excoriare cruces, abrumpere textibus aurum,
Omnia quæ poſſunt auide corradere ſæuis
Vnguibus, & ſecum collecta referre.

Quæ ſumma impietas eſt. Arnold Clapmar. *lib. 5. Arcan. cap.* 4. Exempla tamen in hiſtoriis extant paſſim. Dionyſius ex templo Leucotheæ auri argentique plurimum abſtulit, & quicquid reliquorum ornamentorum, vt refert Camerar. *in lib. 2. Oeconom. Ariſtot. p. 31.*

Ex lytris quoque Captiuorum olim ſtipendia exoluta eſſe ex Ariſt. *Oeconom.* & Sabell. *lib. 3. ennead. 4. & lib. 9. ennead. 3.* patet: ſed ea hodie cuiq; priuatorum cedunt, qui hoſtem in captiuitatem redegit.

CAPVT XI.

DE DEVICTORVM PENSIONIBVS.

IVRE quoque victoriæ tributum victis imponitur.

APpian. *2. Ciuil. Cir. ſpont. lib. 9. cap. 4. p. 249. del gouerno di ſtato.* Alber. Gentil. *de iure belli* eleganter *lib. 3. cap. 4.* Læl. Zechius *lib. 2 in principe p. 226. cap. 3. Gen. cap. 48. fac. c. omnis. de cenſibus. 3. Reg. 10. 2. Paralip. c. 9. & 27. v. 5. & 6.* [*Iotham pugnans contra regem Hammonitarum præualuit eis, ita vt darent ei Hammonitæ anno illo centum talenta argenti, & decies mille coros tritici, ſimiliter hordei decies mille: hoc rependerunt ei Hammonitæ etiam anno ſecundo & tertio. Itaq; confirmauit ſe Iotham, quia comparauerat vias ſuas coram Iehoua Deo ſuo. 2. Chronic. 36. v. 3. & 4. Iehoachazum amouit rex Ægypti Ieruſchalaimis, & impoſuit mulctam regioni eius centenûm talentorum argenti & talenti auri.*] Exemplo etiam ſunt Poloni, teſte Bonfinio *lib. 2. decad. 2.* olim ſoluerunt Imperio boues centum viginti, auri pondo quinquaginta. Idem etiam Bohemi,

Ænea Syluio *in Bohemic.* Auguſtus Ægyptum tributariam fecit, & pecunia conflata partim ad milites peruenit, partim ea Imperium Romanum locupletatum eſt. Dio *lib.51.*

Capvt XII.

De Sociorvm Contribvtionibvs.

Interdvm etiam ſocij & fœderati Principum certam ſummam pecuniæ contribuere ſolent, quæ emolumento ærario eſt.

Qvod vel dependet à ſpontanea liberalitate & affectione ſociorum: vel à pacto confœderatorum, quod mutui auxilij cauſa neceſſario vrgente neceſſitate conſtituendum & ſoluendum. Exemplum habemus in ſtatibus & Circulis Imperij, qui ad expeditionem Turcicam contribuunt, Vulgo Reichsſtewer/ Türckenſtewer. Ita domus Auſtriaca & Saxonica mutuo pacto ad ſubſidia ſuggerenda, bello & hoſte imminente, obligantur. Vbi regula obtinet: Fidem & pactum ſeruandum eſſe. De fœderibus & pactis eorum dicendi locus erit alius. Nec deſunt exempla in ſacris, *2.Reg.3.v.4.* Meſa rex Moabitarum gregibus ouium abundans regi Iſraelis lanam de agnis & arietibus dat. Item *2.Reg.15.v.19.* Inuadente enim Pule rege Aſſyriæ regionem illam, dedit Menachem Puli mille talenta argenti, vt eſſet adiumento ſibi ad confirmandum regnum in manu ipſius. Item *2.Chronic.24.& 27.2.Reg.12.v.17.& 18.* Sed non opus eſt exemplis, vbi experientia in aperto eſt.

Finis libri tertij.

LIBER QVARTVS DE VECTIGALIBVS PERSONALIBVS.

CAPVT I.

QVID VECTIGAL, CVI ET QVO FINE competat.

VECTIGAL est pecuniæ compendium ex impositione publica, ratione personę aut rei, ęrario Reip. exoluendum, iure diuino, gentium & ciuili Principibus & reip. competens.

LIpsius *lib. 2. de magnitud. Romæ, cap. 2. in pr.* Vectigal à vectura deducit, & primo solum Portorium significasse ait. Græcis etiam aliquod discrimen esse, quibus vectigal proprie est τέλος, tributum φόρος, sed & reipsa differre: quod illud res & fundos magis spectat & ligat: hoc capita, ac opes mobiles. Nos hic accipimus vsu ICtorum vectigalis vocabulum latius, pro quouis emolumento, quod ex quacunque re singulorum ciuium aut peregrinorum ad publicum vsum exigitur & percipitur. Quemadmodum etiam à Iohanne Gœddeo *in l. bonorum 49. n. 7. & n. 13. de V. S.* pro omni compendio, quod reip. eiusq; ęrario expedit, sumitur. Quandoquidem vectigal non tantum est, quod præstatur nomine mercium, quæ inuehuntur & euehuntur *l. vniuersi. 5. C. de vectigal.* sed etiam corpus octauæ venalium rerum, salinarum, metallorum, vectigalium fundorum. *l. inter publica 17.* ibi Gœddæus. *l. in lege. 203. de V. S. l. liber homo 59. §. 1. D. de hered. instit. l. comparandi 2. C. quæ res vendi poss. l. 1. D. si ager vectigal.* Videatur *fol 130.* Andr. Knichen. Quomodo differant stipendium & tributum, Gœddeus docet *in l. 27. n. 17. de V. S.* & in Vegetio *lib. 2. de re militari pag. 216. & 213.* Steuechius notat. Item quomodo aliis appellentur nominibus, puta impositiones, vulgo Impost, Exactiones, Telonia, vnde vulgatum Zoll & Zoll/Pedagia, Guidagia *c. super quibusdam § præterea extr. de V. S & Clem. Præsenti. de censib. & exact. § pen quis dicatur Dux. in vsib. feudor.* Borcholt. *in feud. cap. 4. n. 13.* Item Passagia ab Italico Passagio Datiæ, Gabellæ, forte à Geben/Assisiæ à Gallico Assis. Vid. Borcholt. & Hottoman. *in verbis feudalibus.* Damhoud. *in pr crimin cap. 99.* quæ fere omnia barbara sunt & vsu confunduntur: de quibus etiam Waremundus *in tract. de subsidiis.*

Iure autem diuino soluendum esse tributum & vectigal, docemur ex sacris literis passim. *Ioh. 6. Rom. 13.* Cui tributum, tributum: cui vectigal vectigal. 1. *Pet. 2. 2. Cor. 6. Actor. 25. & 27.* idque deducit Aretius *in problemat. cap. 155.* Petr. Martyr *in loc. communib.* Musculus & alij. Marquar. Freher. *lib. 3. parerg. cap. 10.* vbi multa de tributis disserit. Christum enim Dominum nihil aliud docuisse, nisi quod primum

Deo, deinde principibus faceret populos obedientes, Egesippus tradit *2. cap. 5.* Nam quæ Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ Dei, Deo danda, præcipit ipse Dominus. Vnde Iuuencus:

Soluite nunc illi propria sub lege tributum,
Atque Deo proprium legis seruemus honorem.

Et Salomon *Prouerb. 24.* Time Deum fili mi; & regem. Et Apost. Deum timete, Regem honorificate. Cuius rei causa à præcepto Dei, necessitate & salute Reip. dependet, *c. 4. & seq. 23. q. 1.* [*Quippe quod magistratus subditos custodit, qui legiones alit, vt eos in officio & pace contineat, & propter bella necessario militi stipendium præbeatur, ne dum sumtus quæritur, prædo grassetur.*] vti verba Augustini habent. Nam Reges & principes ideo à Deo Opt. Max. constituti sunt in hoc mundo, vt ipsius vicem sustinentes (Deus enim agere vult ἐμμέτρως, quanquam ratione potentiæ suæ omnia ἀμέτρως agere possit) ex æquo & bono populos moderentur & regant, vt cuique suum tribuatur. Quod vt eo rectius & facilius exequantur, adminiculis quibusdam opus est veluti Neruis, quorum causa potestas concessa & indulta à Deo & consensu populi, qui principibus ius imperij tribuunt exigendi tributa & vectigalia, & id genus alia compendia à subditis *1. Samuel. 8.* Arist. *5. Polit.* Fernand. Vasq. *illustr. controuers. in præfat. n. 102.* Ex quo patet Ærarij ius principi competere, & inter iura Maiestatis siue summi imperij referri. Nemini enim licet vectigalia instituere, nisi Principi, vti iure ciuili constat & vsu obseruatur. Proinde etiam nemini fas est ærarium habere publicum, cum ærarium sine vectigalibus fundari nequeat: neque vectigalium ratio subsistat nisi ærarij fine. Hinc quoque pecunia publica, quæ in patrimonio populi, quasi Popolica nomen accepit. Quo spectat, quod Pompeianus ad Commodum Imp. ait; Roma illic est.

Quin ærarium quoque principalis pecuniæ omne nobiscum est. Herodian. *in Commodo.* Solius ergo Principis est siue Populi in statu populari, siue Optimatum in statu paucorum, ærarij publici rationem inire ex vectigalibus & tributis singulorum.

Finis principalis vectigalium est emolumentum ærarij publici. Ideo enim institui oportet, vt ex illis pecunia publica colligatur. Propterea ne tale commodum publicum cesset, aut impediatur, Imp. *in l. fin. C. quor. appellat. non recip. & in l. 32. C. Theod. eod.* recte cauet, dum ait: [*Publicarum necess. tatum & priuati ærarij vtilitas deposcit, ne commoda, quæ domui nostræ debentur, callidis debitorum artibus differantur.*]

Hoc emolumentum refertur ἑπομένως ad salutem & conseruationem Reip. qui finis subsequens. [*Impossibile enim est* (ait Imp. Iustinianus *in Nouell. 189. cap. 2.* quem textum quia neruosus & elegans est, hic ex 1. cap. libri 1. repetere libet) *vt sacris tributis non illatis Resp. alioquin conseruetur. Militares namque copiæ assignato sibi salario inde percepto hostibus resistunt, & collatores ab hostium incursionibus truculentiaq; vendicant. Deniq; agros atq; ciuitates à latronũ alioq; modo incompositam vitã sectantium vi & irruptionibus agendis excubiis defendunt. Ex illis etiã reliquæ cohortes ea, q̃ ipsis attributa sunt, accipiũt. Muri atq; vrbes instaurãtur, balneæ publicæ ꝓcedunt, spectacula aliaq;, q̃ ad delectationẽ subditorũ inuenta sunt, ex iisdẽ curantur, & similia in bonũ ciuium fiunt.*] Idẽ in Nou. 161. c. 2. ait: [*Tributa publice sine querela inferuntur. Neq; enim aliter licet conseruare remp.*

niſi pientiſſimæ præſtationes importentur in publicum, ex quibus & militares nutriuntur copiæ, vt reſiſtatur hoſtibus, ac per agros ac vrbes agantur excubiæ: perfruuntur reliqui ordines attributis ſibi ſalariis, reparantur muri & vrbes. Deniq; omnia alia proueniunt, quæ communem ſubditorum vtilitatem concernunt.] Adde Nouell. 163. [*Vt quæ ab illis contribuuntur partim in ipſos, partim propter ipſos inſumantur & impendantur.*] Nouell. 189. c. 2. Cui Taci 4. *hiſtor.* reſpondet, [*Neq; enim*, inquit, *quies gentium ſine armis, neq; arma ſine ſtipendiis, neq; ſtipendia ſine tributis haberi queunt.*] Et Cicero *in epiſt. ad Q. Fratrem*: [*Imperium ſine vectigalibus nullo modo retineri poteſt.*]

Prudens ergo Princeps in ſua rep. præuidere tenetur, ne tributa deficiant, tam pacis, quam belli tempore.

Colligit autem Princeps vectigalia vel per ſe, vel per alios, vel ſuo, vel alieno nomine, dum vectigalium ius alij locat. Hinc vectigalia qui conducta habent, Publicani (Zöllner/ Töllner/ quaſi à telonio dicti) eo quod publico fruantur, dicuntur. In quorum delectu Princeps caute agat, vt iis ius tale concedat, quorum fides & induſtria non ſuſpecta ſit. E re autem videtur hic eſſe, ſi princeps fraudem timeat, vt modum exactionis publice in albo proponat, nimirum ex quibus rebus, & quantum exigere indultum, ne fines iuris conceſſi tranſiliant, neq; plus, nec ex pluribus cauſis extorqueant, & homines emungant, graui pœna indicta iſtis, qui licentia abutantur. Quemadmodum in Regno Galliæ conſtitutum videmus *ex decreto comitiorum Aureliæ habitorum, artic. 138.* Quale enim genus hominum olim fuerit Publicanorum, auarum, rapax, ſubdolum & infame, ſacræ & profanæ hiſtoriæ teſtantur. Confer Aret. *in problemat.* Princeps quoque ſupremus in cæteris, qui ius vectigalium vel priuilegio, vel præſcriptione acquiſiuerunt, diligenter aduertat, ne preſcriptas & æqui metas tranſgrediantur. Qui crudelitatem eiuſmodi ex officio coercere tenetur, ſub pœna pecuniaria, indignationis, banni, amiſſionis iuriſdictionis, feudi, *arg. §. dominorum. Inſtit. de his qui ſunt ſui. l. 1. §. diſpiciamus. l. 2. eod.* Guido Papæ *deciſ. 62.* Gail. *de pace publica lib. 1. cap. 2. n. 22.*

CAPVT II.

DE SVBIECTO VECTIGALIVM, ET IMmunitate perſonarum & rerum.

PORRO omne vectigal ſiue collatio imponitur vel perſonæ, vel rei intuitu, vel vtriuſq; ſimul. Vnde duplex cauſa omnium vectigalium, Legitima, quæ ab affectione perſonæ tantum, vel rei, vel interdum vtriuſque dependet. Quia vero omnes perſonas & res vectigalibus ſubiici iniquum videtur: Inde immunitas à vectigali-

ctigalibus proficiſcitur, quæ prudentiæ politicæ relinquitur determinanda.

DVo ſunt, quibus omnis Reſp. conſtat, Perſonæ & Res. Ideoq; ſi ſubiectum & cauſam inquirere velimus ſummatim, in quo vectigalia conſiſtant, aut ex qua cauſa exigantur, animaduertimus illa vel ratione perſonæ, vel ratione rei alicuius ſolui, vel intuitu vtriuſque ſimul. Exempli cauſa: Perſonale vectigal eſt, quod ob tranſitum, vel delictum & vitium perſonæ: contra Reale eſt, quod patrimonio ciuium, vel rebus exterorum imponitur. Prudentia tamen diſcutit, quibus perſonis vel rebus ex æquo & bono iniungendum ſit. Promiſcue enim omnibus & ſingulis indicere, ſumma foret iniuſtitia. Inde perſonis & rebus quibuſdam immunitas à vectigalium onere impertienda eſt, quæ alias odioſa, Forner. *1. ſelect. 20. & 25.* Cuius variæ eſſe poſſunt cauſæ. Iure Ciuili. Legati *l. in legatis. C. de vectigal.* Item Scholares *Auth. Habita. C. ne filius pro patre.* & perſonæ Eccleſiaſticæ iure Pontificio à vectigalium ſolutione eximuntur *c. quanquam. de cenſibus in 6.* quod an iuſtum ſit, diſputat contra Thom. Bozium *de iure ſtat. lib. 5. cap. 8.* Waremundus ab Ehrenberg *cap. 12. de regni ſubſidiis*, præſertim tempore belli, *l. iubemus. & ibi Iaſon C. de SS. Eccleſiis.* Siquidem vrgente Communi neceſſitate omnes contribuere tenentur. *l. 1. C. de indict. lib. 10.* Quanquam à cenſu olim Druidæ in Gallia & Sacerdotes Ægyptiorum immunes. Iul. Cæſar. *lib. 6. comment. de bello Gallico.* Diod. Sicul. *lib. 1. Biblioth. cap. 6.* Petr. Gregor. *lib. 3. c. 7.* Læl. Zech. *lib. 2. c. 3. polit. p. 228.* Ita quoq; Nobiles eximuntur à collectis *l. 3. §. 1. de muner. & honor.* Guido Papę *deciſ. 41. & deciſ. 384. ac deciſ. 387.* Iohan. Köppen *in ſuis deciſion. illuſt. q. 61. nu. 3. & 5.* Frider. Mindan. *in proceſſ. Camerali lib. 2. cap. 42. §. 6.* Iohan. Bidenbach. *in quæſt. quæſt. 15. & ſeqq.* Quod hodie etiam frequentatur in Polonia. Alexan. Guagnin. *lib. 2. Rer. Polon. in pr.* Quemadmodum olim Senatores immunes erant. Symmach. *lib. 5. epiſt. 63.* quod tamen Commodus Imp. minus obſeruauit, Dione teſte in Commodo. Nauicularij quoque exemti ſunt *l. 1. C. de nauicul. lib. 11. l. nauicularios ſolos. C. Theod. eod.* Dant quoque nundinæ immunitatem *l. 1. & ibi Bl. C. de mund.* Ioh. Parlador. *rer. quotidian. lib. 1. cap. 3. §. 5. n. 24.* Confer Rebuff *de priuileg. ſcholar.* & Benium *de priuileg.* Dd. & Interpp. *in Auth. Habita C. ne filius pro patre.*

Quod res attinet, à vectigali excipiuntur Alimenta *l. 203. de V. S l. vniuerſi 5. C. de vectigal. ibi; Quas ad vſum proprium inferunt*, late & eleganter Roland. *conſil. 34. Stante nu. 15. cum pluribus ſeqq. vol. 3.* Ergo ſi quis non proprij vſus, ſed quæſtus gratia inferret, vectigal omnino pendendum erit. Siquidem vectigalia potiſſimum inſtituta ſunt, earum rerum de quibus mercatores quæſtum faciunt negotiatione. *d. l. vniuerſi 5. ibi, vel negociationis gratia portantur l. omnium 6. ibi, qui negotiationis habent curam. l. ex præſtatione 7. ibi, quod commerciis voluerit intereſſe. C. de vectigal.* Vide latius Bidenbachium *d. q. 18. & 19.* vbi de immunitate nobilium & clericorum differit. Coler. *in tract. de aliment. lib. 2. c. 7. n. 58.* inprimis pauperum. *l. 22. C. de SS. Eccleſ.* Item res exemtæ ſunt, quæ ruris exercendi cauſa vehuntur *l. vniuerſis C. de vectigal.* Item quæ ad proprium vſum vehuntur *d. l. vniuerſi. l. ſi publican. §. de reb. D. de publ. l. cenſor. de V. S. l. cum in teſtamento. de auro & arg.* Nihil etiam de rebus ſcholarium ſoluitur. *d. Auth. ib.*

Iul.Pacius. Adde Iacob. Toming *decis. iuris 55.* Rebuff *de priuileg.* Dd. Benium, & c. Fran. Viui. *lib. 1. decis. 162. n. 31. & seqq.*

Verum tota immunitatis ratio sita est in legislatoris prudentia. Cuius enim est vectigalia imponere: eiusdem quoque est personas & res à vectigalibus & collationibus eximere. *arg. l. 1. de constit. princip. l. nihil tam naturale. de R. I.* Inprimis vero respiciendum est hic Politico ad eas res, quæ potius ad publica, quam priuata, commoda conducunt, quæ immunitate dignæ sunt. Contra quæ homines ad luxum, ad libidinem, ad delicias incitare, & corrumpere ciuium mores possunt, vtpote auream & argenteam supellectilem, pigmenta, plumas, margaritas, vinum, & id genus alia, de quibus *in l. interdum §. species de publican. & vectigal.* grauioribus vectigalibus subiiciet. Das niemandt Gülden Stück / Posoment Perlen vnd dergleichen trage / wo er nicht acis darvon gegeben / vnd licentz hierüber erlanget. Vti moris in Belgio. Vt hac ratione homines ab abusu istarum rerum deterreantur. Cæteris vero, quæ ad vitam commode & honeste degendam, ad victum & amictũ, faciunt & aliis necessariis nulla, aut saltẽ leuiora vectigalia imponenda erunt. Adde Iohan. Althus. *c. 8. polit. pag. 82.* & Petr. Gregor. *lib. 3. c. 4. & 9. de rep.* & Bodin. *lib. 6. cap. 1.* Videat hic Princeps, ne contra salutem Reip. subditos quosdam vectigalibus oneret, cæteros omnino liberet. Vti de Scotis scribit Alber. Gentil. *de vnio. regn. Britanniæ pag. 73.* Immunitatis exemplum, *Maccabæorum 1. cap. 11. v. 34. & seqq.* de Demetrio rege: [*Pro regalibus illis collectis, quas percipiebat rex ab eis quotannis ante ex fructibus terræ & fructibus arborum: Et alia ad nos pertinentia, deinceps decimas, inquam, tributaq; ad nos pertinentia, & salis stagna, & peruenientes ad nos coronas & omnia concedimus eis, neq; irritum fiet quicquam horum deinceps in omne tempus.*] Quod factum est ad preces Ionathanis: *v. 28. ibid.* Exemplum aliud. *cap. 13. v. 37. ibid.* Non vllis sacerdotibus, aut Leuitis & ministris domus Dei istius canonem veterem aut vectigal licet imponere. Confer Boter. *2. de magnit. ciuit. cap. 8.* Binsfeld. *ad cap. 5. de damno; de immunit. Ecclesiar.* Hier. Alban. Bertachin. *de Gabellis.* Montecatin. *ad LL. Platon. c. 8.* Lauterbach. *2. polit. 14.* Danæ. *3. polit. 3. p. 183.*

CAPVT III.

DE MODO VECTIGALIVM.

HÆc de subiecto vectigalium: Modus quoque ex æquo & bono in impositione attendi debet; Qui inprimis ex facultatibus subditorum & affectione rerum; tum vtilitate & necessitate Reip. ponderandus.

SVbiectum vectigalis persona & res est. Causa vero affectio vtriusque, quæ vera & iusta esse debet. Modus insuper attendi debet, qui in quantitate consistere censetur, quem dimetiri oportet ductu prudentiæ politicæ, inprimis ex facultatibus subditorum & vtilitate Reip. tum aliis circumstantiis regionis, temporis. V. Iacob. Curtium 2. *coniect. 32.* Monsieur de la Magalene *del Estat. cap. 26.*

Alb.

Alb.Gentil.*3.de iure belli c.4.* Inprimis vero Princeps ab exceſſu & nimio grauamine abſtineat. Pluris enim magiſtratui ſubditorum opulentia eſſe debet, quam reditus. *Nouell.161.c.2.l.1.C. vectigal.impon.non poſſ.* Tum quod boni paſtoris ſit tondere pecus, non deglubere. Nimiæ enim exactiones cum iniuſtitia coniunctæ ſunt, & cum detrimento reip. quippe quod iſtis populi exhauriantur, ciuitates reddantur deſertæ & inopes, & ſæpenumero ſeditiones ſuſcitentur. Petr.Gregor. *lib.3.cap.9.de rep.* Ioh.Althuſ.*cap.8.p.87.* Girolanus Frachetta *lib.1.in Principe cap.19.* Læl. Zechius *lib.2.polit.cap.2.p.205.* Wann die Hüner gar geſchlacht werden / ſo legen ſie nimmer Eyer. Modum itaque metiatur Politicus moderamine prudentiæ ciuilis, quæ rationem perſonarum & rerum, tum quoque boni publici recte penſitabit, & id quod æquum & bonum eſt, in ſingulis collationibus rerum & perſonarum ſtatuet: puta, quæ incolis, quæ peregrinis, quæ voluptuariis, & neceſſariis rebus proportione conuenienti imponenda. Quod definire in arte ciuili non eſt poſitum, ſed in prudentia politici verſatur. Quippe quod ſingularia præceptis non contineantur. Sequitur vt de generibus vectigalium videamus.

Capvt IV.

QVÆ GENERA VECTIGALIVM.

Vectigalia ſunt vel Ordinaria, vel Extraordinaria, vel Miſta quodammodo.

Ordinaria, quæ lege perpetua indicuntur ærarij ſtati & ſalutis communis gratia, **Ordinar Impoſt / welche jhren ſteten vnd gewiſſen Lauff haben.** Extraordinaria, quæ ad tempus, quæ ſæpiſſime in ordinaria degenerant, & conuertuntur. Vtraque vel iuſta & licita: vel iniuſta & illicita. Iuſta vectigalia ſunt, quæ ex cauſa iuſta imponuntur, iuſtoque modo. Contra ex inhoneſta cauſa & modo iniquo iniuſta & illicita. Iuſta ordinaria & extraordinaria ſunt vel vectigalia vera, vel quaſi.

Bodinus triplicia facit Vectigalia, Ordinaria, Extraordinaria & Caſualia, quibus tributa, quæcunque ciuibus imperantur, contineri ait. Caſualia ſiue caduca vocat, quæ participant aliquantillum de natura Ordinarij & extraordinarij. Ordinaria intelligit, quæ certa & perpetua lege indicta & fundata ſunt ad conſeruationem Reip. Eſt enim Reſp. inſtar corporis, quod neceſſario & quotidie ſua alimenta ad vitam ſuſtentandam deſiderat; Adeo vt illis omnino cauere nequeat, vel ſi ſaltem ad modicum tempus deſtituatur, non abſque

iactura valetudinis, modo sanum sit, fieri possit. Ita quoque Resp. alimenta & elementa requirit, quibus vigor publicus & res populi sustentetur, certa lege & certo ordine. Videat itaque Politicus, vt Resp. ordinariis vectigalibus fundetur & conseruetur, nec temerarium Neronis consilium sequatur, qui initio principatus sui ciuibus vectigalia adimere volebat, quod prudentiores dissuaserunt. Sueton. *in Neron.* Tacit. *lib.10.* Senatus enim Romanus monuit dissolutionem Imperij futuram, si fructus, quibus Resp. sustinetur, diminuuntur. Porro vectigalia Ordinaria & Extraordinaria, quæ extra ordinem necessitate imponuntur, & ad tempus tolerantur, possunt esse duplicia: vel iusta, vel iniusta. Quanquam enim omnia vectigalia quoddam grauamen & malum necessarium esse videantur: attamen quia salus & æquitas publica, quæ semper priuatorum commodo præferenda, quicquid graue & incommodum est, leue & tolerabile reddit: Ideo vectigalia quædam, quamuis per se grauia censeantur, ratione Iustitiæ & æquitatis, qua innituntur, iusta habentur: quædam vero iniusta. Iusta nimirum & licita, quæ ex causa iusta vel iuris communis vel ciuilis proficiscuntur: Iniusta vero & illicita, quæ ex turpi causa & illicita. Deinde quoque iusta illa sunt, quæ iusto modo ex æquo & bono pro ratione causarum, personarum, aliarumque circumstantiarum imponuntur. Iniusta vero, quæ modo iniusto & iniquo, qui tamen hic definiri non potest, sed prudentiæ politicæ determinandus pro varietate rerum & causarum destinatur. Exempli gratia: Iustum vectigal illud habetur, quod forte ex causa pœnæ iniungitur, qua homines à vitiis deterrentur, & emendantur. Iustum quoque erit id, quod vltra vires soluentis non extenditur. At quis dixerit honestum vectigal, quod ex quæstu meretricum & lupanarium colligitur? Aut quod supra vires à rusticis & pauperibus æque ac à ciuibus & diuitibus exigitur? Meminerit itaq; hic Princeps, vt proportione æqua vectigalia imponat: tum vt modo æquo. Man muß den Leuten die Haut nicht vber die Ohren ziehen. Quod si secus fecerit, iustitiæ limites facile transilierit, & sibi suęque Reip. omnis generis mala diuina & humana accelerauerit. Omnia ex æquo & bono in Rep. fieri debent. Quanquam interdum magnum exemplum ex iniquo aliquid secum trahere necessum sit, quod tamen bono publico vicissim compensatur.

Deniq; sunt vectigalia Vera, quæ vere titulo vectigalium exiguntur & soluuntur à subditis: suntque vectigalia Quasi, puta Mutua pecunia, quam sæpenumero Principes à subditis loco & vice vectigalium exigunt, vsuris legitimis solutis, vt ærarij inopiæ succurrant, quam postmodum occasione ferente restituunt. Huc pertinet discursus de simulata causa modoque exigendi occulto vectigalia, id est, dolo bono prætenso, quo animi subditorum ad soluendum promtiores & alacriores redduntur. Exemplo est Mausolus Carię tyrannus, qui petente per legatos Rege Persarum, vt tributa penderet, conuocatis in illa terra opulentissimis ostendit eis: Regem petere tributa, se autem nequaquam abundare pecunia: ibi tum subornati quidam statim polliciti sunt, se esse collaturos & summam indicarunt. Hoc facto opulentiores partim pudore, partim metu & plura sunt polliciti & contribuerunt. Rursum pecunia indigens Mylassensibus conuocatis demonstrauit oratione sua, eam ciuitatem principem regni, ex qua ortus esset ipse, non esse

mœnibus ſeptam: Regem autem Perſarum exercitum aduerſus illam adducere. Iuſſit igitur Mylaſſenſes, quantum quiſque poſſet, pecuniæ conferre plurimum, affirmans iis, quæ tunc contribuiſſent, cæteras ipſos ſuas facultates eſſe conſeruaturos. Collatis autem copiis magnis, ipſe quidem retinuit pecunias: Mœnia vero extrui illo tempore Deum velle negauit. Huc referri videtur ſophiſma, quo Timotheus Athenienſis vſus, qui militibus ſtipendia debens, ſimulauit tempeſtatibus impedientibus ad ſe argentum deportari non poſſe. Nam tanta ſe copia abundare, vt trimeſtre iam ante tempus perſolutum ſtipendium dono eis dare velit. Quo pacto & ſpe milites acquieuerunt, interim Timotheus geſſit, quæ voluit. Camerar. *p.32.* Item ſophiſma Didalcis Perſæ, qui ſpecimine vaſorum aureorum in fano ablatorum ſpem ſolutionis fecit ad aliquod tempus. Nam toto illo tempore abuſus eſt exercitu, cum nihil niſi victum præberet. Camerar. *pag.33.* Quia vero omne vectigal vel imponitur ratione Perſonæ, vel Rei, vel vtriuſque ſimul: Ideo iam diſpiciendum eſt de ſpeciebus & modis ſingularibus, &c.

Caput V.

DE PORTORIO ET PORTARIO.

Vectigal quod ratione hominis ſoluendum, deſcendit vel ex tranſitu, vel ex pœna, vel ex alio iure perſonæ. Vnde portorium & portarium, item pedagium: vectigal pœnale & migrationis. Portorium eſt vectigal, quod perſona in portu ob traiectum: vel quod ob tranſitum in porta ſoluit, quod portarium. Pedagium, quod à peregrinante pro ſaluo conductu.

Ex tranſitu vel traiectu perſonæ ſolius, vel cum equis aliiſque iumentis, puta camelis, aſinis, &c. ob iter ſoluitur vectigal, quod in portu portorium, vel quod in porta ob tranſitum pontis &c. vel alias propter tutelam viarum publicarum penditur, Portarium dicitur, Gallis Barragium. Eſt enim Portorium, τέλος ἐν λιμένι, vectigal in portu, vel ob tranſitum portus *l.62.§ vehiculum. D.locat. & cond.* ſimpliciter fit mentio portorij *in l.3. C.de vectig. & in l.cenſoria.de V.S.* Gœd. *in l.17.n.8.de V.S.* Tacit. *lib.13.* Vnde Portitores, quos ICtus Redemtores *in d.l.62.§.vehiculum* appellat. Portarium τέλος πύλης vectigal in porta. Lipſius *lib.2.de magnit. Roman.c.1.* Æquitas huius vectigalis dependet à fide & ſecuritate publica, tum immenſis impenſis, quas in portus, portas, pontes & vias publicas ſiue regias collocari oportet. Hinc videmus ſæpenumero etiam antequam pontes extruantur, in ſingulos collectam ſiue tributum indici, quo expenſæ compenſari poſſint, quod poſtmodum in vtilitatem communem tendit commerciorum & negotiationum cauſa. Adde impenſas, quæ ad conſeruationem neceſſariæ, damit ſie in bewlichem

Wesen erhalten/ aduersus impetus & inundationes aquarum, aduersus tempestates, glaciem, imbres & ventos. Cuius rei gratia in bene constitutis rebuspubl. magistratus & curatores viarum creantur. Lamprid. *in Alexand. Seuero*. Sicul. Flac. *lib. 2. de condit. agror.* quale officium etiam olim Censorum fuit Liuio teste, Gallis *les Maistres des Chausees*. Annæ. Robertus *lib. 2. rer. iudicat.* Qua de causa Impp. & Reges veluti ius regale, vias publicas sibi reseruarunt, Offene Landtstrassen vnd Pässe/ *c. 1. verbo Viæ publicæ, quæ sint regalia*, quarum mentio fit *l. 2. §. viarum. D. ne quid in loco publ. l. fin. D. de loc. & itin. publ. l. si in public. §. fin. D. de aq. & aq. plu. arc.* quas Principes à latrociniis tueri & resarcire tenentur, quibus perpetuo insistendum, nec vnquam impune deuiare licet, das Geleit verfahren. Facit elegans textus *in l. 1. §. summa. D. de his qui effuder. l. 3. in fin. l. congruit. de off. præsid.* Nam publice vtile est, vt Vlpianus ait *in d. l. 1. §. summa*, sine metu & periculo per itinera commeari. Quippe quod ad salutem Reip. spectet securitas viarum publicarum. Mynsing *centur. 5. obseru. 70. num 9.* Andr. Geil. *2. obseru. 64.* Vnde principes quoq; obligantur damnum, quod deprædati in viis publicis passi sunt, resarcire, vti tradunt Zasius *consil. 14. n. 8.* Gail. & Mynsing. *dd. locis.* Cæpolla *de seru. rustic. prædior. c. 4. n. 9*. Adde *Ordinat. pol. t. Elector. Saxon. tit.* Von Landtstrassen/ Item *Constitut. Caroli VIII. del imposition foraine c. super quibusdam §. præterea. extr. de V. S.* Landtrecht. *lib. 2. art. 27.* Waremund. *pag. 80.* Quod etiam ad nauigationes referendum, quas principes pro vectigalibus tutas præstare coguntur, Das sie die See mit Krieges Jagt vnd Convoyschiffen sicher halten. P. Heig. *Instit. de Rer. diuisione § flumina. num 15.* Pedagium denique est pensitatio, quæ pro saluo conductu soluitur à peregrinante, Vulgo Das Geleyt Cæpolla *in tract. de seruitut. tit. seruit. rustic. prædior. c. de via q. 3.* Andr. Geil. *d. obseru. 64. n. 4.* Alij Guidagium à Gallico *Guider* dicunt, & Passagium ab Italico *Passaggio*, via.

Huc pertinet vectigal personæ, quod extraneus in primo ingressu terræ siue prouinciæ alicuius soluit, vti in Anglia & in Italia Mantuæ solui solet, Vor die Extranitet der reisenden/ zu Fuß vnd zu Roß/ puta ein Kreutzer vel minus.

Huc quoque referri oportet, quod pro fide publica, vulgo Ein Boulette, id est, schedula publica, quæ fidem facit peregrinanti, eum ex locis peste non infectis profectum, vti in Italia & Gallia moris est: & olim in Germania quoque in vsu fuit, vt probat *reform. polit. Imp. Sigismundi Anno 1436. promulgata cap. XVI.* Quomodo loca à contagione, & à latrociniis & banditis aliisque facinorosis hominibus, quibus nulla fides datur, tuta seruantur. Ad similitudinem diplomatum, quæ olim dabantur cursoribus, vt iis liceret vti equis & vehiculis publicis. Budæ. *ad l. eos D. ad L. Cornel. de fals. l. continuus §. cum ita stipulatus. D. de V. O.*

CAPVT VI.

DE MVLCTIS ET ALIIS VECTIGALIBVS *pœnalibus*: Peenfälle/ Bussen/ Straffen.

VECTIGAL, quod ex causa pœnæ soluitur est, quod imponitur hominibus delinquentibus ob delicta,

Quod

Quod inprimis in vitiis, luxu puta veſtium, comeſſationũ, &c. obtinet cohibendis. Et dicitur Mucta, Geldbuß.

PEcunia ſane debetur Reip. iure Officij, vel ex delicto. Iure officij ſiue muneris ſoluenda ſunt Patriæ (quam omnes amare *l. 2. de Iuſt. & Iur.* debent) vectigalia & tributa. Ex delicto deſcendunt pœnæ maleficiorum. Donell. *lib. 2. comment. Iur. ciuil. cap. 6.* quę delinquentes priuant vel bonis vitæ, vel famæ, vel corporis, vel fortunæ, quæ proinde pœnæ pecuniariæ dicuntur ſiue Mulctæ *l. aliud eſt fraus. §. inter multam. de V. S.* Vnde Caſſiodor. *lib. 8. variar.* Mulctam dicit coercitionem pecuniariam, pœnam vero non ſolum pecuniariam, ſed etiam capitalem eſſe *d. §. inter l. 1. C. de mod. multar.* Huc ergo pertinent omnis generis delicta leuiora & vitia, quæ pecunia expiari, & arbitrio magiſtratuum puniri ſolent, Allerley Geldtbuſſen vnd Straffen/ de quo vectigalis genere Bodinus *pag. 1036.* eleganter. Hoc genus vectigalium, quod ad coercenda ciuium ſcelera imperatur, omnibus non modo iuſtiſſimum, verum etiam vtiliſſimum videri debet. Veluti in iis rebus, quę ad corrumpendos ciuium mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, & ad libidinem irritant *l. interdum §. ſpecies 6. de vectigal.* puta in ſericis, aureis, argenteiſq; telis, pannis exoticis, gemmis, quibus vel homines carere poſſunt, vel indigni ſunt. Idcirco ſi præter dignitatis & ordinis ſtatum tale quippiam ſibi arrogauerint, ad ſuperbiam & faſtum demonſtrandum, merito mulctentur. Bodin. *d. pag. 1035. lib. 6. c. 2.* Hippolyt. à Collib. *in lib. ſing. de increm. vrb. cap. 20.* Waremund. *pag. 60.* Quemadmodum in Batauia hodie ſtatutũ eſt, vt ne ex auro, argento, ſerico, &c. veſtimẽtum cuiquam indigno permittatur impune geſtandum. Ita quoq; in Rep. Auguſtana & Noribergenſi bene ordinatum eſt, vt ſui cuiq; ordini, patricio & plebeio, habitus præſcribantur legibus veſtiariis, quas tranſgredi non licet ſine pœna, Quippe quod in tranſgreſſores cenſores clandeſtini conſtituti, qui in publicis & priuatis conuerſationibus ſingulos notent. Huc quoq; pertinent leges ſumtuarię in conuiuiis, puta ſponſalitiis, nuptialibus, Kindtauffen/ Kirchmeſſen/ Vogelſchieſſen/ ꝛc. Quo referendum tributum, ꝙ Armis imponitur, vt nemini priuatorũ arma geſtare liceat. Proſper Farinacius: ꝙ aleæ, aliiſq; ludis illicitis, de quibus P. Heig. *lib. 2. q. 33.* König *in proceſſ. cap. 57.* ꝙ ſcortationibus, compotationibus, choreis illicitis, &c. Scip. Ammirat. *in Tacit. lib. 3. diſcurſ. 8. p. 113. ex Plinio lib. 8. c. 51. lib. 10. c. 50. & lib. 8. c. 57.* Waremund. *p. 89.* Deniq; huc referri poteſt vectigal Iudiciarium, quo temeritas & proteruitas litigantium coercetur, de quo Cuiac. *lib. 6. obſ. 8.* Lipſ. *in monitis pag. mihi 145.* Bod. *lib. 6. de rep. c. 2.* Sixtin. *c. 8. de regal. n. 44.* Huc pertinet exemplũ, quo Cyſſiceni vſi, quando orta ſeditione & plebe ſuperiore apud ipſos, oppreſſiſq; ac captis diuitibus, cũ deberetur militibus pecunia, ſcitum fecerunt: Ne capti interficerentur, ſed pecuniis exactis vt exularent: Ioachimo Camerario referente *in 2. Oeconom. Ariſt. p. 25.*

In quibus vero delictis multa locum habere debeat, relinquitur prudentiæ Politici, qui ex catalogo delictorum & circumſtantiis facile æſtimate poterit, quæ delicta grauiori digna pœna, quæ pecuniaria & leuiori. Quod quia varium eſt, & ferme infinitum, definitioni non ſubiacet. Solent enim pœnæ in rep. pro varietate earundem admodum variari, vt quod hic capitali, alibi pecuniaria pœna expie-

tur. Itaq; obſeruationi & prudentiæ politici totum quod eſt committendum eſt. Inprimis vero in Statuta Rerumpubl. hic diligenter inueſtigare oportet, & explorare ſecundum Liuij dictum, quod tuæ Reip. publice priuatimq; vtile eſſe poſſit. Sed viderit nihilominus bonus Princeps, vt ne mulctarum compendio abutatur, impunitatem delicto, indulgendo vel tantum pecuniarie coercendo, quod alias capite plectendum eſſet. Nec enim videndum quod liceat & expediat, ſed quod pium, honeſtum & iuſtum. Cum ob iniuſtitiam pecunia illata ærario ciuili aut ſacro (qua ratione multi opinantur, vitium pecuniæ ſanguinolentæ purgari poſſe, modo ad ſacros vſus transferatur) parum proſit, ſed potius obſit: Quippe quæ & euaneſcat, & ſæpe ruinam totius reip. ſecum trahat.

CAPVT VII.

DE VECTIGALI MIGRATIONIS.

VECTIGAL migrationis eſt, quod ſubditi venientes vel abeuntes ſoluunt.

Eſtque duplex: vel quod ſoluitur ciuitatis adipiſcendæ, Das Bürger Recht zu erlangen / vel deſerendæ cauſa, vulgo Auffahrt vnd Abfahrt.

HOc quidem vectigal iuri ciuili incognitum eſt, ſed ſola conſuetudine hactenus in ciuitatibus obtinuit, quæ vicem legis habet *l. 32. de LL. l. diuturna eod.* Iacob. Thomingius *deciſ. 7. n. 37. & 38.* Conſuetudines vero eiuſmodi valere *l. vn. C. de auro coron. lib. 10.* ſatis euincit. *l. miſſi opinatores C de exact. lib. 10. l fin. §. pen. de nundin. l. non tantum §. fin. de decurion.* Quod ius in viridi obſeruantia eſt. Æquitas eius in eo ſita eſt: Quod qui ſubditi fiunt, & in numerum ciuium recipiuntur, tutelæ Reip. ſubiiciantur, & communicatione iurium ciuitatis fruantur: proinde non iniquum videtur à peregrinis aliquid ſolui, remunerationis ergo. Sed cur qui abeunt? Ius antidori hoc requirit, vt etiam abeuntes gratitudinem pro patrocinio præſtito exhibeant magiſtratui *arg. l. 1. C. ſi quid in fraud. patron. l. ſi libertus. de iure patron §. ſed natura. Inſtit. de ſucceſſ. libert. c. officij. c. requiſiſti. de teſtam. c. inter cætera 10. q. 3.* Modo hoc vectigal ſit modicum *l cum ſatis. §. caueant. C. de agric. & cenſit. lib. 11. l. fin. C. qui ciuil. muner. & iud lib. 10. l. 3. C. vectig. noua.* Eſt enim princeps & magiſtratus, pater patriæ, proinde paternam pietatem imitetur, *c. Apoſtolus §. ſuſtinemus. de cenſib.* Andr. Geil. *p. 1. obſ. 17.* Matth. Coler. *in proceſſ. c. 9. n. 58.* Waremund ab Ehrenberg / *lib. ſing. cap. 6. n. 58. de ſubſid. regn.*

Finis libri quarti.

LIBER

LIBER QVINTVS DE VECTIGALIBVS RERVM ET PATRIMONIORVM.

Capvt I.

DE TRIBVTO.

ITa fuit vectigal personale. Vectigal ex rebus est, quod intuitu rerum & patrimonij exigitur, nimirum, quod ex causa emolumenti rerum soluendum. Et causam habet vel commercium, & contractum hominum; vel hereditatis successionem, &c. Res vero siue bona cum in politiis duplicia: Immobilia & Mobilia, quæ homines habent & possident: Inde quoq; dispectio fieri debet huius vectigalis, quod vel ratione bonorum immobilium vel mobilium soluitur. Immobilia bona sunt prædia rustica & vrbana, iuraq; iisdem inhærentia. Rustica prædia sunt fundi. Vrbana vero ædificia. Soluendum ergo vectigal vel intuitu & causa fundorum vel ædificiorum, von ligenden Gründen vnd derselben Nutzungen/oder von Hauß vnd Hoff. Vel intuitu rerum mobilium & nummorum, Fahrnuß vnd Parschafft. Quod nos speciatim Tributum, vulgo Stewer appellamus, quod est pecunia populo imperata, quæ pro census ratione à singulis exigitur & soluitur. Sunt itaq; primum Bona singulorum ciuium describenda: Deinde quoq; pro ratione & quantitate qua quis possidet, æstimanda,

vt singuli sciant, quantum ærario conferendum: Et Resp. exinde suas vires pace & bello metiri possit.

QVicquid boni homo ciuisque in Rep. habet & possidet, quod viuit, quod libere viuit, quod bene, quod beate, omniumq; rerum & bonorum vsu, & interdum etiam copia ad voluptatem vtitur fruitur, totum hoc beneficium est Reip. referendum, quæ facit, vt Homo sociatus in ciuili societate ciuiliter viuat, suisque bonis gaudeat. Qua de causa non tantum necessarium est, verum etiam æquissimum, vt aliquid ex lucro & compendio bonorum illorum, in commune conferat. Propterea quod & Homo & Res singulorum in Rep. conseruari nequeat, nisi conseruetur Res publica siue communis. Adeo vt singuli sui causa videantur impendere, quicquid in vsum publicum conferunt. Quippe quod res communis à priuata, & contra priuata à communi mutuiter dependeat. Causa itaq; realis vectigalis ex eo iustissima est, quod aliunde iustius lucrum siue compendium publicum peti non censeatur, quam ex possessionibus & facultatibus, quæ singulis emolumento sunt, & quibus se suasq; familias sustentant & tuentur. Quod genus vectigalis Capitatione aliisque impositionibus mere personalibus æquius videtur. Propterea quod Personale personas afficiat siue quid possideant in bonis, siue non possideant: At reale ex compendio rerum priuatarum proficiscatur. Quod enim homines arant, quod metunt, quod mercantur & lucrifaciunt, quod labore & manu quæstum faciunt, Reip. cura, regimine, & tutela id faciunt. Cæterum cum imperium sine vectigalibus nullo modo (vti dictum) retineri possit, æquo animo ciues parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam atq; ocium redimere debent, vt scribit Cicero *ad Q. Fratr.* Qua de causa ab arcanis Reip. siue dominationis vectigalia recte segregat Arnold. Clapmar. *lib. 4. de arcan. rerump. cap. 6.* De causa & æquitate huius vectigalis satis: dispiciamus de discrimine, quod ex differentia bonorum naturalium & ciuilium, quæ vel Mobilia vel Immobilia sunt, desumi potest. Cui distinctioni quantum pote insistendum esse arbitramur, si ex aliquo fonte realia vectigalia deriuare, & ordine quodam discriminare desideramus, vt vectigal vel ex rebus immobilibus exigatur, vel ex rebus mobilibus, & hisce naturalibus quoque vel ciuilibus, id est, Nummis, siue pecunia numerata. Homines enim vel fundos & ædificia, vel vtensilia & supellectilem, mercesque, vel nummos possident, quibus vtuntur fruuntur. Naturalia autem bona, quia vel 1. terra, id est, agricultura & effossione proueniunt. 2. vel opificio & manus opera elaborantur. 3. vel mercatura maritima & terrestri parantur in Rep. 4. ciuilia vero ex parte adquiruntur cum quæstus ex nummis conficitur: Ideo hæc vestigia sequentes videbimus, Quid & quantum ex singulis decerpi & exigi possit & debeat: Quod genus vectigalis in specie Tributũ indigitamus (Cuius originem repete ex *lib. 2. Inuent. Polyd. Virgil.* olim Tributus Gell. 13. *c. 19.*) deductum à tribu. Quippe quod secundum Varronem *lib. 4. de ling. Lat.* sit pecunia populo imperata, quæ tributim à singulis pro portione census exigebatur: Vel verisimilius à tribuendo, quod ex priuato in publicum tribueretur. Fest. *lib. 18.* vel quod militibus tribuebatur *l. ager. 16. de V. S.* Quanquam alias olim & no-

mine tributi venerit, quod ob capita ſolutum. Dio Halicarnaſſ. Plutarch. *in Publicola l. 2. §. ſi quid. de hered. vel act. vend. c. ſi tributum, 11. q. 1.* Eſt enim tributum æquiuocum nomen, quod vel in ſpecie pro vectigali tantum rerum, vel promiſcue pro quouis rerum & perſonarũ ſumitur. Cæterum cum plura ſint *l. 4. de præſcript. verb.* negocia quam vocabula, ideo interdum latius, interdum arctius voce vtendum eſt. Accipimus enim vocem tributi pro vectigali illa pecunia, quæ à ſingulis reſpectu bonorum immobilium & mobilium, quæ habeant & poſſideant, Wie hoch daß ſie begütert ſindt/ exigitur & ſoluitur, vulgo, Tribut/ Landtſtewer/ Schoß/ Schatzung/ *Exod. c. 30. Deut. 26. 1. Reg. 10.* Bodin. *lib. 6. c. 2.* Gregor. *lib. 3. de Rep. c. 3. l. . & 2. C. de annon. & trib. lib. 10. l. vniuerſi. C. de vectigal.* Chaſſan. *in tr. des Iuſtices rub. 1. §. 4.* Cuiac. *lib. 7. obſ. 3. & 4.* Monterus. *lib. vn. deciſ.* Reg. Arrag. *deciſ. 13. n. 46. & 47.* Alias & hodie interdum Collecta & Indictio. *l. 3. C. de annon. & tribut. lib. 10.* Erneſt. Cothm. *conſil. 11. n. 1.* Waremund ab Ehrenberg/ *de regni ſubſid.* Adde Gœdd. *in l. ager. 27. de V. S.* Vide *2. Chron. 17. v. 11. & 12.*

CAPVT II.

DE CENSV.

CENSVS nihil aliud eſt, quam publica patrimonij ſingulorum ciuium deſcriptio & æſtimatio. Græcis τίμημα æſtimatio, vel ἀπογραφὴ deſcriptio, German. Schatzung.

HÆc generatim de tributis dicta. Verum enimuero cum compendia vectigalia omnia iuxta normam æquitatis exigi oporteat: Æquitas autem potiſſimum ex proportione bonorum conſideranda & ponderanda ſit: At proportio inueſtigari nequeat, niſi ſingula bona ciuium excutiantur, inquirantur & ęſtimentur, ideo inſtrumentum adinuentum fuit cenſus, quo ſingulorum ciuium patrimonia æſtimentur & cenſeantur, qui nihil aliud eſt quam ęſtimatio & deſignatio bonorum ſingulorum ciuium publice facta. Feſtus *in verbo Cenſores.* Eſt enim Cenſere æſtimare, & Cenſus æſtimatio bonorum, quod tanti quiſque res ſuas æſtimaret, quanti cenſores cenſuiſſent. Nam profeſſio bonorum à priuatis ſubſignabatur, & ad ærarium deferebatur. Bodin. 6. *Rep. 1. p. 971.* Qua de cauſa cenſum pro conſignatione ſiue tabulis publicis modificate vſurpari videmus *in l. Cenſus. de probat.* vbi ICtus: [*Cenſus & monumenta publica potiora teſtibus eſſe Senatus cēſuit.*] Quo ſenſu & Theophilus *in §. Dedititios. Inſt. de libertin.* deſcribit: [*Cenſus, inquit, ſignificat tabulā, aut chartam, in qua Romani facultates ſuas cōſcribebant, vt belli tempore pro modo patrimonij ſui vnuſquiſq; conferret.*] Quod Germani Schatzungen/ Schetzen. Item Loſungen dicunt. Fieri autē debet hęc ęſtimatio publice, id eſt, autoritate magiſtratuũ, apud quos ſinguli ciues cenſum bonorũ ſuorum profiteri coguntur, vt conſtet de quantitate pecuniarũ, quas quiſq; poſſidet. Adeoq; vt poſtmodũ munera belli paciſq; patrimonialia nō viritim, ſed pro viribus patrimoniorũ iniungantur, vtq; hac ratione Reſp. ſuam potentiā & opes nouerit, quibus ſe belli & pacis

tempo-

temporibus metiri & tueri poſſit. Qui propterea merito anima Reip. appellari poſſit. Quod opus Claudius etiam ideo vocat arduum: [*Quod opus*, inquit, *quam arduum ſit, nobiſcum maxime, quamuis nihil vltra, quam vt publice notæ ſint facultates noſtræ exquiratur, nimis magno experimento cognoſcimus.*] Quod maxima cum æquitate coniunctum, vt nemo plus oneris ſuſtineat, quam emolumenti & lucri ex rebus capiat. Quandoquidem cenſus æqualis in capita maximam iniuriam ciuibus infert, vt qui nihil aut parum in bonis habet, nihilominus rerum æquale grauamen cum aliis perferre cogatur. Vtendum itaque hic eſt proportione Geometrica, non Arithmetica, vt quiſque tantum ſoluat, quantum poſſideat *l. 3. C. de annon. & trib. lib. 10. l. 2. eod.* Cuius rei cauſa Magiſtratus conſtituuntur, qui olim Cenſores in Rep. qui cenſui agendo præfecti. Liu. *lib. 1. & 4.* Cic. *lib. 3. de LL ibi.* [*Cenſores, populi æuitates, ſoboles, familias, pecuniaſq; cenſento.*] Hugo Donell. *cap. 2. pag. mihi 280. de fide inſtrument.* Cenſum porro inſtituiſſe fertur primum Seruius Tullus, Sextus Romanorum Rex. Ita enim Liuius *lib. 1.* inquit; [*Cenſum inſtituit Seruius rem ſaluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli paciſq; munia non viritim, vt ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent. Tunc claſſes centuriaſque & hunc ordinem ex cenſu deſcripſit, vel paci decorum, vel bello.*] Item Luc. Flor. *in 1.* [*Ab hoc populus Romanus relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, curiis atque collegiis diſtributus, ſummaque regis ſolertia ita eſt ordinata Reſp. vt omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur, ac ſi maxima ciuitas minimæ domus diligentia contineretur.*] Videndus eſt Dion. Halicarn. *lib. 4.* Poſtmodum in eadem Rep. ſæpius actus eſt cenſus ob incrementum vel decrementum patrimonij ſingulorum, quia, vt Vlp *in l. 2. de cenſibus* ait: Vitia primorum cenſuum editis nouis profeſſionibus euaneſcunt. Item *l. 4. §. qui poſt cenſum. eod.* Exemplum habemus in Octauio Auguſto, qui cenſum egit vniuerſi orbis, *Lucæ 1.* Marq. Freher. *lib. ſing. de numiſm. cenſ.* Fuit etiam cenſus apud Gręcos, maxime Athenienſes. Demoſth. *in orat. de muner.* Et hucuſq; ad noſtra tempora in omnibus Rebuſp. regnis & principatibus frequentatus. De modo & forma cenſus Vlpianus refert *in l. 4. D. de cenſibus*, nimirum de agri formula, [*Nomen fundi cuiuſque, & in qua ciuitate, & quo pago ſit, & quos duos vicinos proximos habeat.*] Item de arui: [*Quod in decem annos proximos ſatum erit, quot iugerum ſit.* De vineæ: [*Quot vites habeat.*] Olíueti: [*Quot iugerum & quot arbores habeat.*] Prati: [*Quod intra decem annos proximos ſatum erit, quot iugerum paſcua eſſe videantur.*] Item ſyluæ Cæduæ: [*Omnia ipſe qui defert, æſtimet.*] Item [*Lacus piſcatorios portus, ſalinas, ſi quæ ſunt in prædiis, ſeruis expreſſis nationibus, ætatibus, artificiis & officiis ſpeciatim in cenſum deferri debere.*] *l. 1. & 3. § fin. l. 6. 7. 8. D. eod.* Latius differentem vide de cenſu Ioh. Bodin *lib. 6. de rep. cap. 1.* vbi ſingulatim de cenſura agit, quæ primitus non ad morum caſtigationem inuenta fuit, ſed ad ciuium deſcriptionem, ætatem, numerum, ordinem, conditionem: ſiue ad fortunarum omnium ac facultatum æſtimationem, quo ſenſu poſteriori hoc loco nos vocem cenſus ſpeciatim ſumpſimus, Schatzung der Güter. Adde Petr. Gregor. *3. Reip. 5.* Couarr. *3. variar. reſo ut. 7. & ſeq.* Cuiac. *20. obſeru. 35. & 24. obſ. 7.* Zaſium *lib. 2. ſingul. intellect. cap. 3.* De cenſura confer Mondecatin. *ad LL. Platon. c. 26.* Lauterbach. *1. polit. 7.* Danæ. *6. polit. 4. p. 425.* Lipſ. *in polit. & de magnit. Romæ 4. cap. 2.* Petr. Gregor. *4. Reip. 12.* Freher. *lib. 3. de infam. c. 12. & 10.* Scip. Ammirat. *lib. 11. cap. 2.* vbi de off. Cen-

foris.

ſoris agit. Petr. Ærod. *2. rer. iudicat. 16.* Fr. Patricius *3. rep. 7.* Fr. Pollettus *lib. 3. de form. Rom. cap 5.* Eberlin. *de O. I. in l. 2. cap. 15.* Zepper. *lib. 1. polit. Eccleſ. c. 17. p. 146.* Thom. Garzo *in diſcur. 30.* Cyro Sponton. *lib. 7. dello ſtato cap. 10.* Bodin. *d. lib. 6. c. 1.* latiſſime Ioh. Althuſ. *in polit. cap. 8. p. 83. & ſeqq.* Lælius Zechius *lib. 2. polit. c. 3. p. 227.*

Forma cenſus hodie plerumque obſeruari ſolet, vt ſinguli ciues iurati cenſum profiteantur, quantum in bonis habeant, & quot bona in clinodiis, veſtibus, pecunia numerata, mobilibus & immobilibus, & quanti æſtimentur omnia hodie.

Capvt III.

De Indictione ex Possessionibus agrorum.

Tribvtvm ſoluendum eſt à ciuibus vel nomine Immobilium, vel Mobilium. Immobilium, nempe fundorum & ædificiorum. Quod ex poſſeſſionibus illorum bonorum exigitur, Indictionem libet indigitare in ſpecie.

Primum tributum ſoluendum eſt ex poſſeſſione & prouentu agrorum, paſcuorum, hortorum, vinearum ſingulorum ciuium, & quicquid nomine fundi venit.

Qvod ratione & proportione iugerum ſoluendum, vulgo dicitur Huffengeldt/ vel quod ratione prædiorum ruſticorum, Landtſtewer/ vel Fruchtgeldt/ quod ſoluendum ex fundis, ſecundum menſuram fundi ex tritico, hordeo, auena, ſiligine. Quo pertinet etiam Weingeldt/ oder etliche Faß Wein. Waremund ab Ehrenberg *p. 55. n. 23. cap. 4.* Quod genus vectigalis de vino tempore Caroli V. regis Galliæ in vſu. Bour. *deciſ. 246. pag. 602.* Item Førſtgeldt/ Triefftgeldt. Quo referri poteſt, Mühlſchwein/ Maſtgeldt/ das beſte Haupt auß dem Viehe/ Pfluggeldt/ Erbzinß/ Zehenden vom Fleiſch/ Wein/ Korn/ Erbſen/ Flachs/ Kraut. Vectigal boum & corij.

Huc referri videtur & ille modus, quo Iphicrates vſus. Suaſit enim vt ſubditi conſererent ſoli partem ſinguli exemtam regi XVIII. modiis. Hoc facto magna frumenti copia fuit collecta. Qua in ea loca vbi fora agebantur exportata, abundans pecunia eſt confecta.

Camerar. *p. 34.*

CAPVT IV.

DE TRIBVTO EX METALLIFODINIS, *siue Canone Metallorum.*

PRÆTEREA soluendum est vectigal siue tributum ex possessione Metallifodinarum, salinarum, Lapidicinarum, &c. priuatorum.

EX emolumentis terrę soluendum est quoddam vectigal ærario: quod vel depromitur ex fructibus soli, vel visceribus terræ, puta Metallifodinis, auri, argenti, æris, ferri, plumbi, stanni, quas priuati possident. Iure enim certum est, priuatos etiam possidere metallifodinas & inde fructum percipere, cum in eorum bonis inueniantur. *l. item si fundi.* §. *sed si lapidicinas. l. si cuius* §. *inde est quæsitum. D. de vsufr. l. venditor.* §. *si constat. D. cōmunia prædior. l. diuortia.* §. *si vir. solut. matrim.* fac. text. *in l. 3.* §. *vlt. & l. seq. D. de reb. eor. qui sub tut. & l. magis puto. D. eod.* Verum Principi eiusque fisco certa ex metallis in priuatorum fundis effossis debetur portio. *l. 1. l. 2. l. cuncti C. de metallar. lib. 11. l. 2. hoc metallum. C. Theod. eod.* Quæ Canon metalli *d. l. 2. C. de metallar. & C. Theod. eod. & in d. l. cuncti C. Theod.* decima esse dicitur. Renat. Choppin. *de LL. And c. 61. n. 1. & seqq.* P. Heigius late & eleganter *p. 1. q. 13.* Qua de causa Dd. *in c. vn. quæ sint regalia verbo Argentariæ.* Decimam metallorum priuatorum portionem de Regalibus tantum esse concludunt. Bossius *in tr. de metalli & argenti fodinis n. 3.* Petr. Gregor. *lib. 3. syntagm. c. 10. n. 1.* Borcholt. *in tr. de regal.* Regner. Sixtin. *eod. tr. c. 18.* Andr. Knichen. *de priuileg. Duc. Saxon. p. 133.* Teuberus *p. 1. quæst. 22.* Nisi quod Electores immunitate decimarum gaudeant. *Aur. bulla* Carol. IV. §. *in præsente constitutione.* Gœden. *consil. 3. n. 9.* Schneidw. *in* §. *constituitur. n. 7. Instit. de vsufr.* Obseruanda tamen hic erit consuetudo & ius principis. Regner. Sixtin. *n. 37. & seqq.* Adde M. Coler. *in decision. 98.* & ibi Iacob. Scult. *in not.* Decimam quod attinet, quæstionis esse solet. An illa de omnibus promiscue metallis intelligenda? Inprimis an etiam de Ferrariis Eysenstein. Quod textus & interpretatio Dd. comprobant, vti testatur Michael Teuberus *lib. 1. quæstion. iuris ciuil. & Saxon. quæst. 22.* nisi consuetudine vel præscriptione aliud obtineat. *n. 9.* Qui etiam de iure lapidicinarum, vel alterius vilioris metalli monet consuetudinem inspiciendam esse. *n. 10 per l. 1. & 2. C. de metallar.* De venis saxorum, pretiosorum lapidum, gemmarum, marmorum, & quę sunt medij generis fossilium, videatur Castrensis *in l. fructus* §. *si vir. D. solut. matrimon.* Peregr. *de iur. fisci lib. 4. tit. 2. n. 13.* P. Heig. *lib. 1. quæst. 13. n. 37.* De Salinis legibus Romanis cautum est, quippe quod in fundis priuatorum priuati iuris sint. *l. ex generalis.* §. *vxori. de vsufr. legat. l. ex forma* §. *salinæ. D. de censib.* vbi ICtus: [*Salinæ si quæ sunt in prædiis, & ipsæ in censum deferendæ sunt.*] facit text. *in l. magis puto* §. *1. D. de reb. eor. qui sub tut.* Reditum vero certum ex metallis & mineralibus Principem vel remp. sibi constituere posse certum est, qui propterea inter Regalia refertur *c. 1. quæ sint regal.* & inter vectigalia publica, quæ fisco debentur *l. inter publica.* §. *vlt. de V. S. l. 1. D. quod cuiusq; vniuers. l. si quis. C. de vectigal.* Qualem etiam ante Imperatores constitutum fuisse ex Liuio, *lib. 9. decad. 3. de bello Persico,* constat. [*Vectigal etiam nouum ex salana*

annona statuerunt.] Item olim in Troade, teste Alfeno *lib.3. σοφιστῶν, cap. 1.* Adde Borcholt.*hic*, & Regner. Sixtin.*cap.21.* P. Heig.*p.1.quæst. 14.n.17. & seqq.* Quod vectigal ICtis dicitur *in l.inter publica §.vlt.de V.S.* & ibi Gœdd. *l.1.D.quod cuiusque vniuers.* Salinatium Pontificis *in c. super quibusdam. §. præterea. de V. S.* Quo pertinent decimæ confecti aluminis. Matth. Afflict. *decis. Neapol.321.* vide Andr. Knichen. *in priuileg.Duc.Sax.p.134.* Cęterũ prout variant Regnorum iura, ita quoq; reditus eorundem. Salinarũ naturam & salis si quis indagare desideret, perlegat ἁλογραφίαν Bernhardini Gomezij, Plin.*lib.16.ca.2.* Potest quoq; consuetudo vel Princeps certã legẽ imponere fodinis calcis terræ, ex qua lateres fiunt Ziegel Erde/ miniariis, nitrariis, sulphurariis, quæ Wesenbecius inter Regalia cõnumerat, *cons.45.n.24.& cons.60.n.30.* de quibus M. Teuber.*p.1.quæst.23.n.11.& 12.* Petr. Heig.*lib.1.q.13.n.40.*

CAPVT V.

DE PISCATIONVM REDITV.

HÆc de reditu, qui adminiculo & ratione terræ infert: Ratione vero aquæ est reditus piscationum.

NAm quamuis *in §.flumina.Inst.de R. D.* ius piscãdi dicatur esse omnibus commune in portu fluminibusque: aliud tamen est ius piscandi & aliud compendium ex piscatione, quod immemoriali præscriptione & cõsuetudine acquiri potest. *c. super quibusdam.§. præterea.de V. S.* Qua de causa inter Regalia relatum est hoc ius *c.1. quæ sint regalia, verbo Piscariæ.* Radeuicus *in vita Friderici lib.2.c.5.* Sigon.*lib.2.de regn.Italiæ & 7.* Regn. Sixt.*de regal.c.20.* P. Heig.*p.1.q.15.n.45. Coler.in decis.101.*

CAPVT VI.

DE REDITV MOLENDINORVM.

DEINDE reditus etiam iure molendinorum aquaticorum Principi competit in fluminibus.

PRincipis enim est ius molendinorum aquaticorum concedere in fluminibus. Quippe quod flumina inter Regalia *d.cap.1.quæ sint regal.* Noe Meurer tr. An vero Domini subditos possint cogere, vt in suis molendinis molant, eleganter disquirit Iohan. Copus *in decis.20.* Teuber.*p.1.q.27.*

CAPVT VII.

DE TRIBVTO EX PRÆDIIS VRBANIS.

DEnique soluendum est vectigal ex prædiis vrbanis, puta domibus, horreis, aliisq; ædificiis, areis: von Hauß vnnd Hoff/ Schoß/ Stewer/ Balckengeldt/ Sparrẽgeld/ Camin oder Schornsteingeldt. Inquilingelt. Simon Pistor.*cons.19.vol.1.* Schurff.*cons.23.n.3.cent.3.* Waremund. *p.37.*

CAPVT VIII.

DE VECTIGALI OPIFICIORVM.

OPIFICIA ſunt, quæ materiam elaborant, & quæuis vſui communi inſtrumenta & vtenſilia parant. Quibus ęque lucrum quærunt ac agricultura. Vnde vectigal quoddam intuitu opificiorum conſtitui & inprimis à collegiis opificum exigi poſſet, quæ arcam communem habent ad exemplum Reip.

QVæ ſane via conficiendæ pecuniæ commoda & facilis videtur, modo æquitatis regula hic obſeruetur, nec modus excedatur: Propterea quod pecunia ſemper parata & breui tempore exigi & colligi poſſit. Inprimis ſi Principi mutua pecunia opus neceſſitatis tempore, iis præſertim in locis, puta Norībergæ, Mediolani, vbi artificia & opificia florent. Hic ergo ineat calculum Politicus, à quibus collegiis artificum quid petendum. Quantum enim quiſque ſoluere poſſit, non ita in facili eſt: Propterea hæc res tutius committi videtur indagationi magiſtratuum in ſingulis ciuitatibus, vt modum explorent, quantum Opifices ſinguli (qui alias parum, aut nihil in bonis habent) ex quæſtu ſuo manuario ſuppeditare queant Reip. In quibuſdam Rebuſpubl. obſeruari licet, vt Mercatores & Opifices magnum ſua induſtria facientes quæſtum, quantum quiſque lucri capiat, iuramento profiteantur. Nec improbandum eſſe hunc morem cenſet Andr. Friccius *lib.3. de rep. emendand. 12.* Nec eſt nouum hoc genus, nec iniquum. Olim enim à Seuero tale artificum vectigal inſtitutum fuit, teſte Herodiano *lib.3.* Lælio Zechio *lib.2. politic. cap.3. pag.228.* Alex. ab Alex. *lib.4. cap.10. genial. dier.* Petr. Gregor. *lib.3. cap.6. n.4.* Et fuiſſe extra ordinem pro reſtituendo palatio igni conſumto ab Auguſto indictum priuatis denarium, at collegiis aureum, ex Dione Caſſio refert Marq. Freher. *lib.3. parerg. c.10.* Chabrias Athenienſis regi Ægyptiorum ſuaſit, vt de vnaquaque colonia, item corporibus ſingulis imperaret tributum. Item de frumento, quod veniret, vt exigeretur vltra pretium tam ab emtore, quam venditore de ſingulis artabis aſſes bini, nec non de nauigiis & officinis & aliis, quicquid negocij gereretur, & fieret quæſtus, quæſtus illius pars decima. Vti refert Camerarius. Sic ſtatutum fieri poſſe, vt ſinguli artifices in principio, quo artem cœperint exercere, teneantur aureum ſoluere, Ripa *cap.6. nu.41.* adſerit *in tract. de priuil. peſt.* Sic memini extra ordinem collegiis Opificum iniunctum fuiſſe, vt ſingula perſonam ad ſeruitia principis in feſtiuitatibus publicis decenter ſuis ſumtibus veſtitam & exornatam deputarent.

Capvt IX.

De Vectigali Rervm Jmmobilium venditarum, &c.

Res, quæ commercij ſunt, id eſt, emi, vendi poſſunt, ſunt quoque Immobiles & Mobiles. Immobiles Fundi & Ædificia ſolo infixa, iuraque. Mobiles autem ſunt merces quæuis, quæ loco moueri poſſunt, ad victum & amictum humanum, ad inſtrumenta & ſupellectilem, ſpectantes, Allerley Kauffwahren/ quę mercimoniis ſubiacent, in Handel vnd kauffen ſind. Ex immobilibus, ſiue fundis & ædificiis wegen ligender Gründe/ Hauß vnd Hoff/ ſolet ſolui Reip. vectigal, in alienatione, id eſt, venditione, vel permutatione illorum bonorum, pro ſortis ſiue ſummæ totius proportione, vulgo dicitur Der Abzug.

Iuſtitiam huius vectigalis quod attinet, illa non in obſcuro eſt. Quamuis enim iure communi tales detractiones non reperiantur, in quo leges inprimis contrahentium æquitatem & vtilitatem reſpiciunt: Rarenter autem ſimul emolumenti publici rationem habeant: Ideoq; non dubium hanc ob cauſam eiuſmodi detractiones publicas præteritas ſilentio fuiſſe. Hunc tamen defectum iuris publici Mores & Statuta Rerump. ſingularia ſuppleuerunt, dum modos, quibus ærarium publicum ſtabiliatur, ex æquo & bono publico adinuenerunt: Quod cuique Reip. & principi non tantum liberum, verum etiam ſumme neceſſarium eſt. Cum ſalus Reip. ſuprema lex ſit, & omni priuato commodo præferenda: Omneſque populi legibus & moribus communibus & propriis vtantur. *l. omnes populi. de Iuſt. & Iur. l. 6 eod.* Et conſuetudo pro lege obſeruetur. *l. de quibus 32. D. de LL.* præſertim in oneribus & collectis. *l. vn. & ibi Br. C. de aur. coron. lib. 10.* vbi dicitur; [*Ad collectionem auri coronarij placuit neminem abſq; conſuetudine eſſe cogendum.*] Ioh. Copus *in quæſt. q. 11. n. 1. & ſeqq.* Thoming. *deciſ. 27. n. 37. & 38.* Et quanquam eiuſmodi detractio aliquid iniqui ſapere videatur: quippe quæ cum damno priuatorum coniuncta: ſciendum tamen eſt, priuatum detrimentum facile publico emolumento compenſari poſſe. Æquum enim vel æquiſſimum cenſetur, quando ciues vel aliorſum migrant, vel domicilium mutant, vt de bonis venditis, quæ in illa rep. in qua vixerunt, adquiſiuerunt, pecuniæ partem Reip. vel ciuitati pendant. Andr. Geil. *lib. 2. obſeru. 36. n. 9.* Ioan. Dauth. *in tr. de teſtam. de mat. teſt. limit. 24. n. 69.*

Quantitas huius detractionis in arbitrio esse solet Principis aut Reip. quam moderari ex æquo conuenit. Adeo vt interdum pro centenis duo vel tres saltem floreni exoluendi sint, vulgo appellant, Den Abzug von der Kauffsumma. Item Nachstewer/ quod specialius est. Nam vox Abzug detractionibus hereditatum etiam competere videtur, de quibus suo loco. Quod vectigal soluendum est magistratui, quando contractus publice confirmatur & annotatur, wann der Kauff von der Obrigkeit ratificirt wirdt. Quemadmodum Augustæ, Noribergæ, Spiræ, & aliis in locis quam plurimis constitutum est, & vsu obseruatur, non tantum in opidis sed etiam pagis. Teuber. *part.1.quæst.iur.ciui. & Saxon.15.n.2.*

CAPVT X.

DE VECTIGALI MERCIVM INVECTArum & euectarum.

VECTIGAL mercium est, quod mercibus imponitur inuectis vel euectis. Quod propterea duplex, εἰσαγωγικὸν & ἐξαγωγικόν.

VEctigal à vectura nomen trahit. Vnde proprie & hic pro pecunia, quæ pro inuectione & euectione mercium debetur, sumitur. Pecuniam dico, non rem, non speciem. *l. vniuersos. C. de vectigal.* facit *l. 2. C. eod.* Et consuetudine confirmatur. Henning. Gœden. *consi.7. & 8.* Nisi aliud aliis principibus placeat, vt de Rege Æthiopum fertur, qui species exigit. Fr. Aluaref. *in Æthiop.* Alias vero latiori sensu sumitur. Vlp. *in l. inter publica. §. fin. de V. S.* Verum frequentius primo significatu & inter Regalia, *in c. 1. quæ sint regalia,* refertur. Idem appellatur Telonium à Græco τέλος. Vnde Teloni & telonarij, conductores vectigalium, vulgo Töllner/ inde Zöllner. Item à Dd. Gabella. Boss. *in tract. de vectigal. tit. 2.* Quod etiam in plerisq; locis Portorium dicitur, quasi pro deportandis mercibus solutum *l. allegatis. C. de vectigal.* Videntur equidem vectigalia odiosa esse, quod mercimonia sint iure gentium libera. *l. semper. §. negociatores. de iur. immunit.* Ioh. Copus *decis. 50. n. 1. & seqq.* vbi plures allegat. Sed æquitas vectigalium dependet à salute publica & lucro mercatorum. Si enim à Rep. vel principe commerciorum licentia tribuitur, quibus maximum quæstum faciunt, anne æquum est, vt & corpori publico quid compendij exinde decerpatur? Si enim pastor est Princeps in Rep. quidni conueniat eum sustentari ex fructibus ouium, id est, ex lucro & emolumento ciuium vel aliorum peregrinorum, qui licentia ciuium vtuntur? Anne autem vectigal æquissimum, quod speciebus euectis imponitur, quibus Resp. tua spoliatur, alia locupletatur? Ioh. Gœdd. *in l. 17. num. 8. de V. S.* Quod proinde vel ἐξαγωγικὸν vel εἰσαγωγικὸν existit. Strabo *lib. 17.* Iustin. *in l. vn. C. de Alexandr. primat. lib. 11.* Vnde Impp. *in l. omnia C. de vectigal.* dicunt: [*Vectigalium non paruam esse functionem, quæ debet ab omnibus, qui negotiationis & transferendarum mercium habent curam, æqua ratione dependi.*]

dependi.] fac. *l.* 1. §. *in causa. D. de quæstion.* Competit ergo ius constituendi principi aut reip. quæ superiorem non agnoscit, aut aliis consensu eiusdem *l.* 1. 2. 3. *C. vectig. nou. inst. non poss. l. vectigal. D. de publican. & vectigal. c. immo. de censib. c. super quibusdam. ext. de V. S. c.* 1. *quæ sint regalia.* Reichs Abschied. Anno 76. §. Dardurch dann Copus *d. decis.* 50. *n.* 3. & 4. Alias qui citra consensum principis vectigalia imponunt, L. Iulia de ambitu tenentur. *l. vn. D. ad L. Iul. de ambit.* Quod si vero necessitas & vtilitas alicuius ciuitatis vectigalia desideret, eo in casu possunt vel noua institui, vel vetera augeri *l.* 1. *C. d. t l. vlt. C. de vectigal. l. locatio. §. debitores. l. sed sibi. D. de publican.* Quod enim fit autoritate Principis, & consensu vel tacito, id est, præscriptione, vel expresso, perinde est, ac ab ipso Principe fiat. *c. super quibusdam §. præterea. de V. S.* Borcholt. *in c. quæ sint regalia.* Et quia contrariorum eadem est ratio. *l. nihil tam naturale. de R. I.* ideo vti vectigalia instituere est Principis, ita quoque eiusdem erit illa tollere, vel immunitatem permittere. *d. l. vectigalia C. de vectigal. tt. C. de immun. conced. lib.* 10. Bodin. *lib.* 1. *cap.* 10. *de rep.* & nos diximus de hoc iure *in tr. de Maiestate politica p.* 2. *cap. de vectigalibus.*

Quantitas porro vectigalium ex æquo & bono desumenda est. Quæ quia variari admodum potest, prudentiæ politicæ subiacet, soletque hac in parte sæpe consuetudo attendi *l. si publ. §. fin. D. de publican.* de qua Theodoricus Gothorum Rex apud Cassiodorum *lib.* 5. *epist.* 39. *ait.* [*Canonem teloni nullæ patiaris vsurpatione confundi, sed modum regi vtilißimum, quantum præstare debeant imponentes commerciendi licentia, æquabili ratione reuoces, ne se tandem in vagum extendat ambitiosa enormitas exigentium.*] Ex iure Ciuili quod vectigalis nomine pendebatur, erat octaua pars rei, pro qua fit solutio vectigalis. *l. ex præstatione C. de vectig.* Ex Tacito *lib.* 13. *annal.* vero constat, olim vicesimam quintam pro venalibus mancipiis, (Lipsius legit *Quinquagesimam*) aliarum rerum venalium centesimam fuisse Dio *lib.* 55. Tacit. *lib.* 1. quæ ad ducentesimam reducta à Tiberio. Tacit. *lib.* 2.

Vectigalium institutum antiquissimum esse ex historiis sacris & profanis constat. Regn. Sixtin. *ca.* 8. *de regal. n.* 48. De immunitatibus à vectigalibus supra dictum fuit. Adde Iohan. Copum *decis.* 50. *n.* 30. & *seqq.* vbi & res & personas quasdam excipi iure demonstrat, licet contraria consuetudine hodie aliud in multis locis inualuerit *n.* 34. & *decis.* 61. *per tot.* Et confer Forner. *lib.* 1. *select. cap.* 20. vbi de odiosa vectigalium immunitate agit. Adde Petr. Heig. *p.* 1. *q.* 17. vbi speciatim de immunitate clericorum & literatorum agit. Denique quas res Princeps importari vel exportari permittat, boni publici & priuati causa dictum est *in tr. de Mercatura.* Adde Bodin. *p.* 1020. & *tt. C. quæ res export.*

* *
*

CAPVT

CAPVT XI.

DE VECTIGALI MERCATORVM ET INſtitorum ſingularum rerum, quas vendunt, vulgo Aßiſiæ, Acciß der Kramwahren/oder Kauffwahren/ *Item Cauponum & id genus hominum.*

PEtendvm quoq; videtur vectigal à mercatoribus & inſtitoribus ex mercium ſingularum, quas vendunt, lucro, vulgo Accis, à Gallico Aſſiſe.

DIffert hoc vectigal à priori, quod ob merces inuectas & euectas ſoluitur: at hoc ob merces diſtractas & venditas, quod de omnibus rebus, quæ venduntur & emuntur, puta de fructibus, pomis, pyris, nucibus, aurantiis, citronis, exigitur, & in Batauia frequens eſt. Quamuis vſu confundatur vtrumque. P. Frider. Mindan. *de proceſſ. Camer. Imp. lib. 2. cap. 42. n. 7.* Qui enim ſentit lucrum, vtique etiam onus ferat. Sed ſi hoc vectigal æſtimandum ex lucro ſingulorum mercatorum: de ratione & via, qua lucrum illud inueſtigari poſſit; quæritur. Sunt qui iuratoriam profeſſionem à mercatoribus exigunt, vt quantum lucri ex mercibus venditis annuatim ceperint, tantum etiam vectigalium in proportione Reip. ſoluant. Alij ſtatuunt, merces denunciandas eſſe, priuſquam vendantur. Quæ res difficultatis & fraudis plena. Etenim ſi non conſcientia cohibeantur, quidni tentent Inſtitores?

Idem ſtatuendum eſt de cauponibus in pagis. Andr. Friccius *lib. 3. de emendat. reip. caſ. 12. p. 179.*

Huc quoque ſpectat penſio pro ponderatione mercium, vulgo Waggeldt.

CAPVT XII.

DE VECTIGALI, PRO RHEDA, curru & iumentis.

PRo curru & equis, aliiſque iumentis vectigal etiam ſolui ſolet.

TExtus eſt *in l. cum in plures. §. vehiculum. Locati*, vbi ICtus pro curru vel rheda vectigal aurigam, pro mercibus Dominum præſtare dicit, fac. text. *l. ſi pendentes §. ſi quid cloacarij. de vſufr.* Vulgo Der Roßzoll/ Vectigal in Italia frequens, & in Belgio, vt nemini liceat curru vehere Kutſchen/ niſi qui pro hac licentia annuatim magiſtratui certum vectigal ſoluat, vulgo Kutſchenzoll. Penſio aliquantillum differt, quam priuati conductores pro publicis curribus & equis Vor die Poſtwagen vnd Poſtpferdt/ ſoluere ſolent. Vti in Gallia currus ordinarius Lugdunum & Aurelias,

Aurelias,

Aurelias, & in alia loca constitutos commodo peregrinantium videmus: Adeo vt singulis diebus currus præsto sit, & sodalitium proficiscendi Reißgesellschafft/ tale etiam in Belgio, commodo mercatorum inuentum, curribus & nauigiis stato tempore matutino, meridiano & vespertino, vbi loci natura, planicies & aquarum marisque opportunitas. Vide *1.Reg.10.v.28.& 29.*

Caput XIII.

De vectigali hereditatum et dotium, quæ aliorsum deferuntur.

Hactenus de vectigali, quod ex commerciis & contractibus hominum delibatur: Sequitur de eo, quod ex successione ex testamento & ab intestato, puta ex hereditatibus, legatis & donationibus, ex quibus aliquid in vsum ærarij publici decerpitur, præsertim quando extraneis heredibus, legatariis & donatariis diuitibus, non inopibus deferuntur. Idemq; statui etiam in dotibus animaduertimus.

De æquitate huius vectigalis & detractionis multi sunt, qui adhuc ambigunt. Quippe quod contra ius commune introductum videatur. Constat quidem ex Dione *lib.55.* olim vectigal tale institutum fuisse ab Augusto, vt vigesima pars hereditatum & legatorum, exceptis iis, quæ proxime genere iunctis ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, in ærarium militare referrent, de quo & Plinius *in panegyr. Traian.* Cuius meminit Pomponius *in l.2.§. ex his aliter. de O.I.* Paul. *4. sent.6.* Bodin. *lib.6. de rep. cap.2.* Waremund. ab Ehrenberg/ *cap.5.n.54.p.86.* Quod putat à Gratiano sublatum Alciat. *lib.3. disput. cap.6.* vel constitutionibus anteriorum Impp. vel accisum, vel ex integro reductum, vel denique plane abolitum Iac. Cuiac. *ad Iul.* Paul. *lib.4.t.6.* Bodin. *lib.6. de rep. c.2.* Quod Iustiniani tempore omnino in vsu esse desiit. *l. vlt. C. de edict. D. Hadr. toll.* Andr. Rauchbart. *in p.1. quæst.15.n.5. Constit. Elector. p.3. cap.38.§.* Wann aber. Regn. Sixtin. *de regal. cap.8.n.45. & seqq.* Sed esse reuocandum in Remp. eleganter disputat Ioh. Sturmius. *serm.3. de bello Turcico p.247. & seqq.* Et videmus fere in plerisque bene constitutis Rebuspubl. eiusmodi vectigal in vsu esse. Propterea quod mores & statuta municipalia etiam contra ius commune & gentium induci possint. *l.32. de LL. l.6. de Iust. & Iur. l. omnes populi* & ibi Br. eod. Sebastian. Medic. *in tr. de LLbus & Statut. quæst.15.p.2.* Quin quod successiones à iure municipali certam formam & modum accipere possint. Dd. *in c. Raynutius extr. de testibus.* Berrachin. *in tr. de Gabellis inspect.8.* Quod & decretum *Comit. Imp.* comprobat Regenspurg *anno 94. in §.* Vnd so viel. *fol.30.* Rauchbart.

d.q.15.n.9.p.1.quæstion. Obtinet itaque hoc vectigal hodie moribus & statutis, vulgo Abschuß/ quod se instar laudemij, vulgo Lehnwahr habet, de quo Henning. Gœden *t. de petit. inuestit. consil. 25. per tot.* Hart. Pistoris. *decis. 50. per tot.* vel instar quartæ, quæ iure ex bonis decurionum sumitur *l. 1. C. quom. & quib. quart. pars lib. 10.* Æquissimum enim videtur, si ab iis exigatur & soluatur, qui res hereditarias aliorsum extra territorium transportant, propterea quod æquum sit, subditos pro protectione & tutela, loco remunerationis & beneficij, aliquid dominis locorum remittere: tum quod alienatione ista Respubl. etiam damnum sentire videatur, cum publice intersit & hominibus & rebus eam locupletatam esse. Quemadmodum etiam libertum pro beneficio manumissionis soluere quid posse, iure constitutum esse videmus. Quantitas huius detractionis siue Falcidiæ olim fuit Vicesima, quæ hodie variat. Nam in Marchia Brandeburgensi habetur Falcidia decima quinta pars sortis. Vnde etiam Quindena appellatur. Soluuntur enim quatuor grossi Marchici de qualibet sexagena Schock. Vnde constat solui de quindecim grossis vnum. Ioh. Copus *quæst. 5 decis. num. 4.* Qui etiam de dote & vestibus festiuis Quindenam solui tradit *decis. 6. num. 6. & seqq.* Item de legatis; cum de similibus idem sit iudicium. *l. illud. ad L. Aquil. arg. l. Marcellus ad SCtum Trebell. l. à filio de legat. 1. ibi* Iason. Copus *num. 16.* An vero hæc Falcidia in moneta antiqua vel noua soluenda, Vide eundem *d. quæst. 5. num. 5. & seqq.* Dubium non est, hoc genus vectigalis ab alienigenis, exteris & peregrinis, qui hereditates extra territorium exportant, quinetiam ab agnatis & cognatis, successoribus licet non efferant Iure solui, liberis exceptis. Nam quanquam iura municipalia & mores successiones mutare & conformare possint, adeoq; ipsam legitimam minuere. Forster. *in tract. de success. lib. 2. in 1. q. pag. 113.* Minsing. *centur. 5. obseruat. 43.* Andr. Geil. *2. obseruat. 122. Constit. prouincial. p. 3. cap. 12.* æquius tamen videtur, eos hac Falcidia non grauandos esse. Propterea quod in liberis & suis heredibus continuatio dominij euidentius appareat. *l. in suis 11. de lib. & posthum. l. qui in aliena 6. §. interdum. de acquir. vel omitt. hered.* Pistor. *lib. 1. quæst. 50. num. 59.* Rauchbart. *in quæst. p. 1. q. 15. num. 15. & seqq.* Quod pariter ad parentes porrigitur, propterea quod pater & filius vna eademque persona censeatur *l. fin. C. de impub. & aliis substit. l. cum scimus 22. C. de agricol. & censit. lib. 11.* Facit huc Plinius *in Panegyri.* de æquitate constitutionis, quæ vicesimæ vectigal parentibus demisit. Vide Rauchbart. *in terminis d. quæst. 5. p. 1. num. 26. & seqq.* Cæterum non tantum de vicesima, verum etiam de quinquagesima statutum fieri posse, quæ soluatur Ecclesiæ forte ad fabricas & ad alios pios vsus, adserit Fr. Ripa *in tract. de peste cap. 6. nu. 24. arg. l. fin. C. de edicto D. Hadr. tollend.* Quod non sit par ratio Christi & fisci. Quin quod hoc ius etiam ad dotes mulierum extendatur, quæ extra territorium nubunt. Corn. *consil. 06. lib. 4.* Ripa *d. cap. 6.* Confer Rosenthal *cap. 5. de regal. conclus. 34.* quod tamen improbat Waremund. ab Ehrenberg *p. 92. de subsid. regn.* Vtrum vero peregrinus & alienigena, cui quid legatum est, hanc detractionem Abschoß/ in re legata admittere, an vero heres eam redimere, integrumque legatum legatario præstare teneatur; vide Rauchbart. *quæst. seq. 16.* vbi eleganter *per tot.* Item an Magistratui hoc ius Falcidiæ etiam in mobilibus in der Fahrnuß competat vel nominibus, si hæc defunctus reliquerit, vel is,

qui

qui domicilium alio transferre cupit, habeat in alieno districtu vel territorio. Rauchbart *d.p.1.quæst.17.* Quo lectorem breuitatis studio remissum volo. Relinquitur ergo prudentiæ & arbitrio Principis aut reip. quotam partem hereditatis legati, dotis & à quibus personis exigendam statuere velit. Quandoquidem salus publica priuatorum commodo vbique præferenda, modo æquitatis limites non transiliat. Et ne heredes dolose magistratus circumueniant, diuisio bonorum publice, & autoritate tabellionis publici, aliisque testibus interuenientibus commode & tuto fieri potest, & actus insinuari. Quæ res parum difficultatis habet in testamentis, hereditatibus coram actis delatis & diuisis Vor Richter vnd Schöffen. Idemq; iuris est in donationibus causa mortis. Idemq; statui posse videtur in rebus expeditoriis & vtensilibus, nisi alias ius retortionis obstet, de quo *constitutio Elector. p. 3. const.* Teuber. *p.2.quæst.*

* * *

Finis libri quinti.

LIBER SEXTVS
DE VECTIGALIBVS ET COLLATIONIBVS EXTRAORDINARIIS.

CAPVT I.

QVID EXTRAORDINARIA, ET QVÆ causæ vrgentes eorum, &c.

QVæ præter morem & legem indici ſolent ad tempus, vrgente cauſa Reip. à Principe vel à ciuitate, cum conſenſu eiuſdem. Cauſa hic exigitur vrgens & publica, quæ vel ſalutem communẽ totamq; Remp. reſpicit, vel partem eius & vtilitatem. Qua ceſſante & extra ordinem indicta tolli æquum & vtile eſt, niſi continuationem bonum flagitet publicum. Quo caſu extraordinaria degenerant in ordinaria. Suntque vectigalia vel antiquis conuenientia genere, ſed non quantitate: vel plane noua. A nouis tamen, quantum pote, Principes abſtinere, æquum & bonum videtur. Quæ etiam vel intuitu perſonæ, vel rerum imperantur. Modoque iuſto & tolerabili, ſuntque ita vera vectigalia, quæ vel perſonalia, vel realia, vel promiſcua: Vel Quaſi, vt Mutua pecunia, quæ etiam à ſubditis extra ordinem exigi ſolet. Extraordinarium perſonale eſt Capitatio & Hoſpitatio.

HActenus de Ordinariis Vectigalibus & Collationibus, quæ certam & perpetuam formam habent, ſed quotannis ſiue quinquennio, vel alio tempo-

re elapſo ærario inferantur, vti olim apud Romanos Aurum luſtrale ſingulis luſtris *t. t. C. de luſtr. auri collat ibi* Cuiac. Siquidem, vti ſupra dictum eſt, in Ordinariis certa forma & tempus ſtatum requiritur, quæ ſufficientiæ Reip. inſeruiant. Cæterum cum interdum cauſæ & neceſſitates publicæ incidant, quæ longe maiores deſiderent expenſas, optimo conſilio prudentum, & bono publico Principes ſiue Reſp. ſibi reſeruarunt extraordinarias impoſitiones, quæ proinde deſcribuntur, quod præter morem & legem indicuntur: deinde ad certum tantummodo temporis ſpacium, denique cauſa vrgente & publica: ſiue, vti Bartolus definit, quæ non habent certam & determinatam præſtationis formam, etiam reſpectu temporis. Franciſ. Ripa. *in tr. de peſte cap. 5 n. 230.* facit *l. 239. §. munus. de V. S. l. 1. l. 18. de muner. & honor.* Poncett. *de iur. municip. num. 9. p. 31.* Frider. *lib. 2. de mandat. c. 42.* Waremund. ab Ehrenberg. *cap. 5. de regn ſubſid.* Althuſ. *cap. 10. polit. pag. 95.* Exempla ſunt paſſim in ſacris & profanis hiſtoriis. *1. Reg. 9. 2. Reg. 12. 2. Chron. 24. Luc. 2. Matth. 7.* Differentia itaque eſt inter Ordinaria & Extraordinaria, quod hæc præter legem & ſtatam formam: illa iuxta legem & morem conſuetum: hæc ad tempus, illa perpetuo: hæc ex cauſa ſingulari & vrgente publica: illa ex cauſa communi reip. hæc ad ſumtus extraordinarios: illa ad ſumtus neceſſarios & conſuetos. In eo vero conueniunt, quod à Principe & ad bonum publicum indicuntur à Rep. & ciuitatibus, cum permiſſu Principis aut Præſidis. Quorum rationem eleganter Imp. *in l. 1. C. de vectig. nau.* complexus eſt: [*Non quidem temere eſt nouorum vectigalium exactio. Sed ſi adeo tenuis eſt patria, vt extraordinario auxilio iuuari debeat, allega Præſidi, cui libellum conſtituiſti, qui re diligenter inſpecta, vtilitatem communem intuitus, ſcribet nobis, quæ compererit, an habenda ſit ratio veſtri, & quatenus, æſtimabimus. Vti enim ſuperiorem habenti nec ordinaria, ita nec extraordinaria vectigalia inſtituendi ius eſt.*] *per d. l. 1. & 2. C. eod* Rutger. Roland. *in tr. de commiſſ. p. 3. lib. 3. c. 7. & 8.* Andr. Knich. *in tr. de priuileg Duc. Saxon. in verbo* Zoll. Boſſ. *tit. qui poſſ. vectig. impon. nu. 10. in pr.* Bodin. *lib. 1. de rep. cap. vlt.* Et nos latius deduximus *in tr. de Maieſtate politica p. 2. cap. de Iure vectigalium.* Adde Waremund. ab Ehrenberg. *d. c. 5. n. 20. & ſeqq.* Menoch. *de arbitr. iud. caſ. 343.* Roſenth. *de regal. cap 5. concluſ. 40* Schrad. *tr. de feud. p. 3. cap. 2. num. 4.* Itaq; in impoſitione vectigalium conſenſus expreſſus Principis requiritur, vel tacitus, qui temporis lapſu colligitur, cuius initij memoria non extat. Mynſing. *lib. 5. obſeru. 29. n. 6.* Quippe quod conſenſus temporis curſu præſumatur *l. 6. de acquir. hered. l. 10. C. de petit. hered.* & tempus immemoriale vim conſtituti habeat *l. 3. §. 4. ibi Dd. de aq. quotid.* Quamuis quibuſdam Politicis ius vectigalium non præſcribi poſſe videatur, ſed Maieſtati indiuiduum eſſe debeat. Bodin, *d. l. 1. c. vlt.* & quamuis ſint, qui vim conſuetudinis hic allegent, quæ maxima. Gabriel. *comm. opin lib. 5. tit. de præſcript. concluſ. 1. num. 18.* attamen potius ſpectandum ſuadent, non quid Romæ fiat ſeu factum ſit, ſed quid fieri debeat. *l. 12. de off præſid.* Cauſa altera, qua conueniunt Ordinaria & extraordinaria, eſt Salus publica & vtilitas, & ærarij defectus: Quam Cicero *lib. 2. Offic.* innuit: [*Non eſt dubium propter ærarij tenuitatem tributum eſſe conferendum, vt omnes intelligant, pro ſalute Reip. neceſſitati parendum.*] Fr. Ripa *de peſte c. 4. n. 184.* Nec propterea ad hoc genus deueniendum eſſe, niſi ordinariis excuſſis & deficientibus, vel non ſufficientibus. Bodin. *lib. 6. cap. 2.* Qua de cauſa Hippolytus à Col-

libus merito dehortatur Principes *in lib. sing. de increment. vrb. cap. 20.* vt caueant ab iis, qui nouas subinde à subditis extorquendæ vel conquirendæ pecuniæ strophas, nulla necessitate cogente, excogitant. Impulsiua autem causa debet esse singularis Reip. siue pacis, siue belli, communis vel particularis quædam necessitas, puta belli, hostium irruptio, captiui principis redemtio, vulgo Ranzongeldt/ pacis confirmatio, calamitatum publicarum subleuatio, principis peregrinatio, electio: operum publicorum extructio vel reparatio. Petr. Gregor. *de rep. lib. 3. c. 19.* Aret. *in problem. loco 155. tom. 2.* Petr. Fr. Mindan. *lib. 2. c. 44.* Ioh. Althus. *d. c. 10.* puta ob aquam publicam, ad ædificia publica. *l. ad reparationem. 7. C. de aquæ ductu lib. 1. l. nemini 3. l. pen. C. de consul. lib. 12. l. 8. C. de aquæ ductu.* Fr. Ripa *de peste c. 4. n. 40.* Facit *l. ad portus 6. C. de operib. publ. l. ad instructiones 7. C. de SS. Eccles. l. absit. C. de priuil. dom. August. lib.* 11. vectigal viarum & pontium reficiendorum: vectigal cloacarum *l. 7. C. de aquad.* Vectigal ad spectacula solutum *t. t. C. de exp. publ. lud. lib. 11. C. de spectac.* A quo munere conferendi, necessitate vrgente, nemo priuilegio immunitatis eximitur. *l. pro tyronibus 3. C. de priuil. dom. Aug.* Ripa *d. c. 4. n. 44.* Quale tumultuarium tributum, quotiescunq; necessitas extrema imminet, indicendum. Dio *in Augusto*, Liui. *lib. 3.* Godescalcus Steuichius *ad lib. 3. Vegetij c. 5. de re milit. in not.* Andr. Geil. *2. obs. 53.* M. Freh. *lib. 3. parerg. c. 10.* Vasq. *illustr. q. lib. 1. c. 6. n. 4. & 5.* Ioh. Copus *q. 59. n. 24.* Myns. *cent. 5. obs. 21.* Menoch. *lib. 2 cent. 2. cas. 178. de arbitr. iud. quæst.* qui causas enumerat vrgentes.

An etiam Dominus pro elocanda filia subditos collectare possit, disputant Dd. Ioh. Copus *decis. 32.* Myns. *cent. 5. obs. 21.* Thomat. *de collat. §. 2. n. 23.* Waremund. ab Ehrenberg *de subsid. regn. c. 4. & 5.* Modest. Pistoris *cons. 4. n. 1. p. 1.* Alth. *c. 10. p. 98.*

Causa vero cessante, debebant etiam extraordinaria vectigalia cessare *l. ex facti. de vulg. & pupill. l. humanitatis. C. de impuber. l. quod fit de legat.* 1. Decius *in l. 122. n. 3. de R. I* & *ibi* Sturcius *c. in argum. de R. I. in 6. ibi* Petr. Peckius. Cæterum hodie sæpe videmus illa in ordinaria degenerare. Parlador. *lib. 1. c. 3. n. 19.* Waremund. *cap. 8. n. 12. pag. 122.* Exempli gratia Türckensteŵer/quod tributum ab initio extra ordinem indictum, sed postea ordinarium factum est. Petr. Heig. *lib. 1. q. 17. n. 30.* Porro hæc extraordinaria vectigalia vel conueniunt antiquis: sed incremento differunt, quæ etiam noua dicuntur. *l. vectigal. 10. C. de vectigal. & commiss. arg. l. 1. §. opus. de noui oper. nunciat.* Ita Romani, vrgente necessitate, duplex tributum imponebant vno anno, quod antea semel tantum, vt notat Forner. *1. select. c. 25.* Liuius *decad. 3. lib. 3.* Plane noua sunt, quæ ex noua causa indicuntur. Quale fuit olim vicesima hereditatum, & Centesima venalium rerum ab Augusto inuenta, Dione & Tacito testibus. Noua quoque sunt, quę sub prætextu & colore alicuius antiqui tributi introducuntur, quæ potius ad Arcana imperij referas. Rosenth. *de regal. c. 5. concl. 44. n. 8.* Waremund. *n. 29. d. c. 5.* A quibus bonos Principes abstinere quantum possibile est, non tantum æquum est: verum etiam bono publico expedit, quippe quibus populus opprimatur & exhauriatur, & sæpissime ad rebellionem excitetur. Reddunt enim, ait Hippolytus *d. c. 20. de increm. vrb.* nimiæ istæ exactiones, vrbes, prouinciasq; desertas, subditos miseros, efferatos, desperatos: Vnde bella ciuilia, Allerley Auffstandt. Frachett. *in Principe.* De quo queritur Cicero *in epist.* [*Nihil aliud nisi imperata noua tributa audiuimus, possessiones omnium venditas: ciuitatum gemitus, ploratus,*

monstra

monſtra quædam non hominis, ſed feræ neſcio cuius immanis.] Confer Petr. Gregorium *lib. 3. cap. 19. de Rep.* Althuſ. *c. 8. p. 87. Polit.* Bodin. *pag. 1028.* Imo potius noua vectigalia à tyrannis & adulatoribus malitioſis adinuenta, ex vſu tollenda ad exemplum Pertinacis, de quo Herodian. [*Imp. Pertinax vectigalia omnia, quæ ad exquirendas pecunias tyranni excogitarunt, penitus remiſit.*] Ne, inquit Bodinus, quæ ex lacrymis & gemitu exinanitorum ſubditorum extorta, ad magiſtrat⁹ voluptates conuertantur. Si tamen neceſſitas impoſitionem vrgeat nouorũ vectigalium, principi prudenti proſpiciendum eſt, vt illa indicat modo tolerabili pro facultatum proportione ſubditorum, ſecundum illud Tiberij: Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere. Deinde pacto remiſſionis interueniente, vt tempore elapſo ſeſe obſtringat tributa bona fide remiſſurum & ſublaturum, gegen einem Reuerß/daß es den Vnderthanen hinfüro zu keiner Newerung vnd Einführung gereichen ſolle. Præterea iuuat pollicitationes addere priuilegiorum concedendorum aut conſeruandorum, religionis, libertatis, &c. in vicem recompenſationis. Qua ratione conſenſum eo facilius à ſubditis eliciet. Deniq; neceſſe eſt vt demonſtret, hæc quæcunq; conferantur, omnia ad bonum publicum neceſſario exigi; quibus non illatis, actum eſſe de ſalute Reip. quæ ſuprema lex eſt.

CAPVT II.

DE CAPITATIONE.

EXTRAORDINARIVM vectigal eſt ratione perſonæ, quod in ſingula capita indicitur, licet nihil in bonis habeant, vnde Capitatio.

CApitationem à capite dici animaduerſio eſt in facili, ſed duplici ſenſu accipi, leges Ciuiles innuunt & vſus. *In l. 9. C. de act. emt. l. 1. de impon. lucrat. deſcript. C. Theod. l. 4. de indulg. debit. eod. Cod. l. vlt. ſine cenſ. vel relig. eod. l. 15. de annon. & tribut. eod. Cod. l. vlt. de patrocin. viror. eod.* deſignat annonariam collationem pro mẽſura agrorum. Rationem huius ſignificationis declarat B. Briſſonius *lib. 3. de V. S.* ꝙ iumenta capita vocarentur, quorum iugo vno quantum arari terræ poterat, id ſubiugationis appellatione in deſcriptionem veniebat, tributariæq; functioni ſubiiciebatur. Quaſi Capitatio idem ac iugatio *l. 9. C. de agric. & cenſit. lib. 10 l. 6. C. Theod. de extraord. exaction. l. 11. de exact. l. 6. C. Th. de collat. denunt.* Facit *l. vlt. C. de immunit. nem. cõced. lib. 10.* Alias vero pro ſpecie tributi accipitur *l. vlt. § pen. D. de muner. & honor. l. 8. C. de SS. Eccleſ. l. 11. & 16. C. de Epiſc. & cler. l. vlt. C. de annon. & trib. l. 10. l. 2. C. Theod. de immunit. cõced. l. 1. de collat. fugit. C. Theod.* nimirum pro capitis tributo. *l. vn. C. de capit. ciu. lib. 11. l. vn. C. de colon. Thracenſ. l. ne ruſticani ad vllum obſeq. eod. lib.* Inde *in Panegyr. Flauienſ. Conſtant. Imp.* dicto. Septem millia capitum remiſiſti, quartam amplius partem noſtrorum cènſuum, vti notat Briſſon. in verbo *Capitatio.*

Quo ſenſu hic ſumitur Capitatio, quod ſit vectigal ſiue tributum extraordinarium (diſſentiente Alciato *in l. 8. n. 1. C. de SS. Eccleſ.* Cuiac. *in parat. C. eod.*) ꝙ pro capite ſoluitur, puta ꝙ patres familiarũ pro ſingulis capitib⁹ ærario depẽdere coguntur. Bod. *lib. 6. c. 2. pag. mihi 1037.* Paul. Montan. *de tut. c. 3. n. 14. & ſeqq.* ideo dictũ, ꝙ

in capita siue in corpora fiat personarũ. Nisi quis capita tropice pro personis intelligi malit. *per l.35.D.de LL l.3 in fin. & l.7.§.iniuriarum.D.de cap.deminut.l.pen.§.testamento D.de secund.tabb.l.2.D.si ex nox.cau.agat.l.21.§.1.D.commod.l.1.in fin.de priu.delict. l.18.D.de furt.* Quasi capitatio sit tributum capitis, id est, in singulas personas collatum *l.3 & vlt.D.de censib.l.10.de agric.& censit.lib.10.l.vlt.de muner.& honor.* Vulgo Haupt Tribut/ vel Hauptgeldt. De æquitate huius tributi disserit Lips. *lib. 2. de magnit.Rom.cap.3.* qui iniquum fere putat, si vniforme in omnia capita indicatur. Pone enim pauperem multa familia abundantem, & diuitem cœlibem aut orbum, anne iniustum esset, pauperem capitatione grauari & diuitem degrauari? Cæterum hic modus vectigalis ęque ac reliqui æquitate, quam prudentia politica moderatur, definiendus est. Adeo vt non tantum filij filiæque familias pro capite redimendi sint, verum etiam serui, ministri, ancillæ, item baiuli Taglöhner/ Opifices Handwercksgesellen/ qui fere nihil in bonis possident, sed quotidie victum manu quæritant. Item interdum Sacerdotes, Die Geistlichen, causa vrgente, qui alias immunitate gaudent. Quale tributum à regibus Bohemiæ impositum fuit Iudæis Anno 50. quod genus tributi Bodinus minus vsitatum esse hodie asserit. *p.1037. de Rep.* & propterea recte inter extraordinaria referendũ. Waremund. ab Ehrenberg. *lib.sing.de subsid.regn.cap.5.nu.45.* Quod tamen à ratione naturali & ciuili non alienum videtur, modo moderamine iustitiæ & prudentiæ iniungatur tempore necessitatis. Exemplum habemus *Exod c.30.v.11. ibi* Fr. Iunius, vbi pecunia per capitationem viritim in singula personarum capita collecta, & *2. Reg.15.vers.10.ibi*: [*Exegit vero Menachem istam pecuniam ab Israele ab omnibus, qui valebant facultatibus, quam daret Regi Assyriorum, quinquagenos siclos argenti in virum vnumquemque:*] quod Lutherus, Auff ein jeglichen Mann. Quare Imp. Vespasianus à singulis Iudæis vbicunque locorum essent, exigere iussit. Ioseph. *lib.7. antiq. cap.27.* verba ibi: [*Tributum Iudæis, vbicunque erant, imposui duas drachmas quemque quotannis in Capitolium ferre iubens, quemadmodum ante in templum, quod est Hierosolymis, conferebant.*] Adde Dion. *in Vespasian.* Causa vero, quod hæc collatio Romam translata fuit, hæc fuisse videtur. Cum enim à singulis Iudæis quotannis didrachmus in vsum templi, cultumque diuinum exigeretur, ingens sane pecunia congesta fuit, quæ ansam dare metuebatur populo Iudaico, qui seruitutis & iugi impatiens, defectioni & rebellioni. Quocirca hoc modo nerui præcisi fuerunt. Tale tributum fuisse quod in sacris Numisma census dicitur, innuit Marquard. Freher. *in dissertat.de Numism.census, & lib.3.parerg.cap.10.* vbi docte & eleganter explicat hoc genus numismatis. Videndus Iustus Lipsius *lib.2.de magnit.Romæ cap.2.& 3* Petr. Gregor. *lib.3.cap.5.de rep.l.vlt. de cens.* vbi pro capite masculi indictus dicitur aureus, pro fœminæ capite dimidius singulis annis. *Rubr.C.de annon.lib.10.l.ætatem.de censibus l.cum antea.C.de agricol.& cens.lib.11.l.vn.C.de colon.Thracens.* Ioseph. *lib.18.c.22.& 7.de bello Iud.* Waremund. ab Ehrenberg. *c.5.n.46.de subsid.regnor.* Memorabile exemplum refert Dio *in Commodo*: [*Commodus*, inquit, *natali suo die nobis vxoribusque nostris liberisque singulis binos aureos tanquam aliquas primitias imperauit, id tributum pendere coegit. Idemque ex Senatoribus, qui in reliquis ciuitatibus erant, quinque denarios exegit.*] Quod tamen potius ad illicita: quippe quod nulla causa subsit; referendum est. De Atheniensibus, qui

inhabi-

inhabitarent Potideam, indigentibus pecunia ad bellum, refert Camerar. *lib. 2. Oeconom. p. 23.* quod iusserunt profiteri cunctos censum bonorum, non simul vniuersorum in tribu sua singulos, sed ita vt quoque loco quicquam possideretur, vt pauperes æstimationem subiicere possent. Si quis vero prorsus nihil possideret, eius capitis æstimatio erat minarum duarum. Hinc igitur tributum, quod exigebatur à singulis integrum conferebatur. Et meminit Capitationis eiusdem Cæsar *lib. 3. de bello ciuili*: [*Multa generatim ad auaritiam excogitabantur, in capita singula seruorum ac liberorum imponebatur tributum, &c.*]

Capvt III.

DE HOSPITATIONE.

Hospitatio quoque est quædam species extraordinariæ collationis personalis, quæ fit superuenientibus militibus, vel aliis personis.

Facit huc *tit. C. de metator. 2. Sam. 17. v. 27. & c. 19. 33. 1. Chron. 12. 3. 9. 40.* Solent vero ciues ab hoc onere pecunia soluta immunitatem impetrare, quæ Epidemetica dicuntur. Vide *n. 129 & 134.* Huc regale illud nauium & plaustrorum præstationis referri videtur *c. 1. quæ sint regal. ibi* Regn. Sixtin. *c. 15.* Ioh. Althus. *c. 10 p. 98.* Hoc sane grauamen sentiunt ij inprimis, qui ea loca habitant, per quæ vulgo iter solent exercitus facere. Da die Päſſe vnd Landtſtraſſen hingehen. Et memini hoc genus extraordinariæ collationis superasse interdum ordinariam, qua rustici admodum aggrauantur. Verum Bellum commune malum multa secum trahit mala, à singulis æquo animo ferenda.

Capvt IV.

DE EXTRAORDINARIIS PATRIMOnialibus & Iugatione.

Vectigalia patrimonialia rerum extraordinaria sunt, quæ bonis ciuium imponuntur, extra ordinem: Adeo vt ne Clerici ab his immunes censendi & habendi. Quæ secundum causarum & circumstantiarum varietatem variant. Species est hic singularis, quæ Iugatio dicitur.

Svnt enim eædem fere causæ, Personæ & Res, ex quibus etiam extraordinaria soluuntur, quæ propterea cum ordinariis supra traditis conferri oportet. Bona autem intellige, quæ sita sunt in territorio. Nam extra territorium impositio ve-

ctigalium non obtinet. *arg. l. fin. de iurisd. omn. iud. 2. Reg. cap. 23. 35.* Althus. *cap. 10. polit.* Vti vero supra immunitate quasdam personas & res gaudere traditum, quæ potissimum in Ordinariis obtinet: Ita contra in extraordinariis priuilegia exemtionis silere solent, propterea quod Necessitas legem non patiatur, de qua thesi late Waremund. *de regn. subsid. pag. 120.* Arnold. Clapmar. *de arcan. rerump. lib. 5. c. 15.* post alios. Adeo vt etiam clerici ab hisce non immunes habendi *l. 5. l. 6. l. 7. l. 11. C. de SS. Eccles.* Reichs Abschied 1594. Item *præced. Anno 1598. 1603.* Waremund. *p. 161 cap. 12. per tot.* Adde Teuberum *p. 2. q. 11.* vbi de priuilegiorum ademtione agit, contra disputante Bozio *de stat.* & P. Gregorio late *lib 3. c. 7. de rep.* Quemadmodum consueuisse Regem Hispaniæ tempore necessitatis etiam Decimas ex Episcopatibus exigere, ex quibus interdum aureorum quingenta millia congessit, vt legatus quidam refert de Hispaniæ regno *in Thesauro polit.* Idem fecisse necessitate vrgente Regem Poloniæ, vt Ecclesiasticus & equestris ordo vniuersus dimidium annuorum censuum conferret, Cromer. *de reb. Polon lib. 23.*

Speciem huc referunt singularem, quam iugationem vocant, vt ciues pro magnitudine & numero possessionum siue iugerum contribuant, præter legem & morem consuetum: Adeo vt qui plura prædia possidet, plus conferre teneatur. *Nou. 17.* Bodin. *lib. 6. c. 2.* Petr Gregor. *lib. 3. c. 5. de Rep.* Ioh. Althus. *cap. 10. p. 96.* Huc pertinent Huffengeldt / Vngeldt / gemein Pfenning zu Leistung der Hülffe wider den Türcken Abschiedt *Anno 1494. 1500. 1542. 1545. 1548. 1551.* Waremund. ab Ehrenberg. *pag. 84. n. 47.* Et si quæ sunt eius generis alia singularia.

CAPVT V.

DE COLLATIONE EXTRAORDINARIA supellectilis aureæ, &c.

MODVS quoque est Extraordinarius, si Princeps, vrgente necessitate, supellectilem auream, argenteam conferre cogat subditos, quam postea restituat etiam absque vsuris.

DOnec Princeps vel collectam possit imponere, vel aliunde pecuniam conquirere *l. fin. §. fin. de pignorat. act. Decis. Pædemont. 95. n. 51. p. 1.* Ripa *in tr. de peste de remed. præseru. §. accedo n. 185.* Vasq. *illustr. quæst. c. 6. n. 7.* Ioh. Copus *decis. 59. n. 23.* Exempla sunt in obsidione Magdeburgensi, Anno 1550. & in expeditione contra Turcam 1594. Modo, vti dixi, solutio postmodum fiat, licet absque iuris, ex communibus reditibus. Quæ si fieri nequeat, tempori est parendum & necessitati *arg. l. 2. de doli & dd. mal. except. l. 1.* & *ibi* Dd. *de off. consul. c. remißionem 1. q. 1. c. sicut. de consil. dist. 5. loqui potuerit. de manumiss. testam.* Egregium exemplum extat apud Liuium, quod ad spontaneas collationes potius referre censuimus.

CAPVT

CAPVT VI.

DE MONETÆ IMMVTATIONE.

DEFICIENTIBVS nummis interdum licet Principi monetæ legem & valorem immutare.

QVi modus etiam publica & extrema necessitate innititur. Alias Princeps contra æquum & bonum faceret, vt ostensum *in tr. de Nummis*. Obtinet hic quod Tacit. [*Omne magnum exemplum iniqui aliquid secum trahit, quod bono publico rependitur.*] Salus enim publica suprema lex est. Cæterum & hunc modum ad extraordinarias collationes priuatorum retulimus. Quippe quod de istorum corio & bonis ludatur. Exempla sunt vetera & recentia. Romani bello Punico, cum impensis Resp. non sufficeret, libræ æris pondere imminuto quinque partes lucrifecere, vlq; alienum soluerēt. Postea Annibale vrgente Fab. Max. Dictator pondus iterum imminuit, & dimidium lucrata est Resp. Plin. *lib.33. nat. histor. cap. 9.* Arist. *2. Oeconom.* refert de Hippia Atheniensi, qui nummum fecit improbum, & ad se Atheniensium argentum constituto pretio afferri iussit, & postea signatam pecuniam nouo charactere ex eo argento dedit. Ioach. Camerar. *lib.2. in Oeconom. p.22.* Item Dionysius mutuo sumserat pecuniam à ciuibus, quam redderet. Cumq; illi repeterent, iussit afferri ad se argentum, quantum possideret vnusquisque, proposita pœna mortis; nisi facerent. Allato autem argento percussit nummum, ita vt denarius vnus æstimaretur duobus, eoq; quod debebatur, quodque attulerant ad se, persoluit.

CAPVT VII.

DE SVFFECTIONE QVASI ET ADVLterinorum nummorum.

EXIGENTE necessitate Militibus etiam Nummi ex materia adulterina ad tempus solui possunt, qui vicem legitimorum interim sustineant, donec redimantur probis.

DE quibus *lib.2. De nummis* adduxi quędam exempla. Ita Galli olim à suo Duce æreos denarios pro argenteis sumserunt. Iou. *lib. 3.* & Bemb. *lib. 2. histor. Venet.* Veneti pro bonis alutinis. Sabell. *2. enn. 9.* Item Ericum Lupidem Comitem Tendillanū olim ex charta panicea fecisse schedulas sua manu atq; subscriptione signatas & æstimatas, quibus stipendium militi interim soluit. Nebrissens. *decis. 2. lib. 3. c. vlt.* Reusner. *in art. stratagem. lib. 1. c. 20.* Item Classomenij militibus cum deberent stipendij nomine quadringenta & octoginta sestertia, neq; possent dissoluere, annis singulis fœnus pendebant ducibus sestertia nonaginta & sex. Quia vero hoc pacto de sorte nihil decedebat, & sumtus facere frustra ipsi pergebant, percus-

percusserunt nummum ferreum ad argenti rationem sestertiorum quadringentorum octoginta. Hanc deinde pecuniam dabant opulentissimis in ciuitate, pro ea atque consentaneum erat cuique, & tantundem ab eis recipiebant argenti. Ioach. Camerar. *2. Oeconom. pag. 28.* Habebant igitur priuati, quod in quotidianos vsus impenderent, & debito liberata fuit ciuitas. Deinde ex vectigalibus & fœnus pendebant illis, & diuidendo semper pro parte sua cuique distribuebant, nummosque ferreos recipiebant. Dionysius cum non abundaret argento, nummum percussit ex stanno, aduocataq; concione, copiosa oratione nummum commendauit. Syracusij vero quamuis inuiti illum scito suo probauerunt, & vnusquisque prætulit, se habere argentum, non stannum. Timotheus Atheniensis bellum gerens cum Olynthiis in pecuniæ inopia æreum nummum percussit, & militibus distribuit. Quibus hoc ægre ferentibus ostendit à mercatoribus omnia & in foro res venales eodem nummo ipsis venditum iri. Mercatoribus autem ostendit, quos nummos æreos accepissent, iisdem rursus eos emere & illa in regione venalia & prædam actam debere. Et si quid æris superfuisset, id ad se referre, proque eo accipere argentum. Quod Leucon imitatus Polyæno referente *lib. 6. stratagem.* Ita perhibent de Ioanne Rege Bohemiæ, qui exhausto ærario cudi ærosos nummos curauit. Ioan. Dubrauio teste *lib. 21.* M. Freher. *de monet. pag. 55.* Ex corio quoque fecisse nummos tempore vrgente Dominicum Michaelem Venetorum Ducem. Sabel. *lib. 4. ennead. 9 & lib. 6. cap. 8.* Quod Dd. approbant ex vtilitate publica; modo sine dolo fiat. Petr. Gregor. *lib. 3. c. 6. n. 22. & seq. de Rep.* Ioh. Copus *in decis.*

CAPVT VIII.

DE AVGMENTO PRETIORVM Rerum venalium.

DENIQVE interdum quoq; restaurandum est ærarium pretiorum augmento.

LAmpsaceni cum aduentus expectaretur triremium multarum, & venirent pollentæ sex modij denariis quatuor: iusserunt in foro versantes vendere eos sex denariis. Et ad olei congium, qui veniret denariis quatuor, adiicere tres obulos seu asses sex. Idemque facere de vino & cæteris. Priuati itaq; pretium accipiebant antiquum: quod autem superabat, id ciuitas retinens copiam ita pecuniarum comparauit. Ioach. Camerar. *in Oeconom. Arist. lib. 2. pag. 24.*

Finis libri sexti.

LIBER

LIBER SEPTIMVS

DE QVASI VECTIGALIBVS.

Capvt I.

DE MVTVA PECVNIA.

Vera vectigalia ordinaria & extraordinaria ſunt, quæ exiguntur, nec reſtituuntur. Quaſi vectigal, quod exigitur reſtituendum, puta Mutua pecunia. Quaſi vectigal itaque eſt Mutua pecunia, quæ ſæpenumero à ſubditis pro ratione bonorum mutuo ſumitur, & tandem cum vſuris legitimis reſtituitur.

QVamuis enim nemo contrahere, aut mutuum dare iure compelli poſſit. Cum quilibet rei ſuę arbiter & moderator. *l. in re mandata C mandati.* & mutuum dare & accipere ſit contractus libertimus, iuriſgentium & actus meræ facultatis; attamen princeps interdum vel reſp. autoritate ſua mutuum à ſubditis opulentioribus, etiam abſque vſuris, exigere poteſt, ſalutę Reip. vrgente *l. 1. C. de omni agri deſert. lib. 11.* Ripa *in tr. de peſte cap. 4. n. 185.* facit *l. neminem 11. C. de SS. Eccleſiis.* Si enim vrgēte neceſſitate Princeps ſubditos collectare poteſt, quidni etiam mutuum ab iis poſtulare? Ioh. Copus *quæſt. 59. n. 24.* ibi alios caſus adducit, vbi Princeps ſubditos cogere poſſit facere, quod alias iure non facerent. Exempla refert Reuſner. *lib. 1. ſtratagematum c. 20. pag. 105.* Quale genus exactionis in regno Boemię vſurpatum Anno 1522. Item in Romano Imperio, Reichs Abſchied *fol. 8.* de quo Bodinus. Eſt certe commodius à ſubditis pecunias mutuo ſumere. Quæ ratio difficultates expedit in tributis cogendis, tunc enim facilius reddit eorum mutuum, qui & fœnus & ſortem & gratiam à rep. ſibi reddi ſperant. Principis namq; eſt hic pacta ac fidem ſeruare. *l. 1. de pactis.* Cum principis ſit vox Dei Et male & inique fecit Vitellius, de quo Dio, [*qui poſtquam ære alieno admodum obſtrictus, Principatum adeptus fuerat, requiſitis creditoribus dicebat, ſeſe reddidiſſe ſalutem pro pecunia, repoſcebatque tabulas contractuum.*] Iuuat ergo hic principem cenſum ſubditorum exploratum habere aut explorare, vt à ditioribus mutuum depoſcatur. Sunt vero Principes, qui veluti regale quoddam ſibi pecunias pupillorum vendicant, donec ad annos pubertatis peruenerint. Quibus interea vtuntur, vſuris ſolutis vnmündiger Kinder Geldt verzinſen. Vide *theſaurum polit. & relat. de regno Angl* Ad exemplum Dio-

nysij Syracusij, qui in pecuniæ inopia professione apud sese describi iussit pecunias familiarum, quæcunque essent orbæ parentibus. Quo facto ille pecuniis vsus fuit, donec singuli in suam tutelam venissent. Ioachim. Camerar. *2. Oeconom. Arist. pag. 30.* Et videtur hac ratione pupillis optime cautum esse, dum sibi principem & patrem patriæ obligatum habent, qui istis quam optime & prudentissime prospicere præsumitur, ratione paternæ affectionis, quam præ se fert. Viderit vero Princeps, quid è re sua & dignitate futurum. Huc pertinet exemplum, quo vsus Taos Rex Ægypti, suasu Chabriæ Atheniensis, vt quod quisque argenti aut auri non signati haberet, id ad se afferret. Cumque esset allatum, suasit, idem, vt rex eo vteretur: Et eos qui mutuo dedissent, commendarent nauarchis, qui debita persoluerent ex tributis. Camerar. *p. 34.* Hunc autem modum Extraordinarium esse, præter alios modos prædictos, cuique satis obuium est. Nam ordinarij modi censentur ij, qui ærarium conficiunt & ditant sine dispendio. Scip. Ammirat. *lib. 3. c. 8.* At pecuniam mutuam sumere, & soluere annuatim vsuras, non video quid emolumenti bono publico afferat. Adeo vt Principes, qui faciles sint ad æs alienum poscendum & capiendum mutuo, interdum ita illaqueentur vsuris, vt nullam tandem viam elabendi reperire possint. Caueant ergo Principes, quantum possibile ab hoc vectigalis genere.

Et ne hoc modo Princeps suas vires singulis patefaciat & autoritatem prostituat, vti poterit arcano quodam, vt videlicet per tertium, puta ciuitatem opulentam, aut autoritate eminentem apud exteros vel incolas pecuniam procuret, quæ suo, non principis, nomine mutuã accipiat, pignore, vel fideiussoribus datis. Accedit etiam, quod eiusmodi ciuitates primariæ aliis eo facilius ad mutuum persuadere possint, exemplo suo præeuntes. Idcirco opus est, vt Principes ciuitatium primorum amorem & obsequium sibi concilient, quorum ope & consilio tempore necessitatis tuto & feliciter vtantur. Quasi vectigal est & illud, cum principes cautionis loco à suis officialibus exigunt certam summam (Wann sie jhren Vorstandt in die Cammer müssen einantworten auff etlich tausendt) cuius vsuras annuatim percipiant. Cæterum cum minus fideliter & diligenter functioni suę præfuerint, in facili videtur ab officiis remotio & damni compensatio. Res sane prudenter adinuenta, qua quæstores & id genus alij ministri principum in officio continentur. Præterea quasi vectigal est, quod à Mercatoribus subiectis, vel etiam aliis ditioribus ad vsuras petitur. Est enim subueniendum ærario laboranti, quibus modis possis, modo saluti publicæ consulatur.

Cui respondet quoq; quasi vectigal, quando à Consiliariis & Officialibus datur mutua pecunia principi in initio muneris sui. Wann die jenigen / so zu einem Ampt kommen / etliche tausendt darlehen thun / welches jhnen verzinst wirdt.

CAPVT

Caput II.

DE MENSA ARGENTARIA.

SOlent quoque sed rarenter Principes argentariis mensis consulere ærario, cum à subditis vel peregrinis accipiunt mutuum ad vsuras extraordinarias.

ITa enim spe lucri ciues & exteros allicere solent, vt ingentem summam pecuniæ ad vsuras elocent. Exemplum refertur de Francisco Rege Gallorum, qui mensam argentariam instituit ad vsuras VII. cuius successor ad X. & postmodum ad XVI. & XX. Qua de causa Florentini, Lucenses, Genuenses, Heluetij & Germani, inescati amplitudine vsurarum infinitam auri & argenti copiam in Galliam intulerunt, teste Bodino *in Apologia aduersus Malestrettum.* Verum ad hunc modum non, nisi extrema vrgente necessitate, deueniendum esse suadent Politici. Propterea quod valde iniquus. Petr. Heig. *p. 2. quæst. 1. num. 153.* Molinæus *in tr. de vsur. num. 506. 507.* deinde quod perniciosus. Quantum enim lucelli exinde ærario cedat, quis est, qui non animaduertat, cum breui temporis spacio vsuræ sortem sint superaturæ & totum ærarium exhausturę. Vnde tritum illud. Die Tochter frist die Mutter. Qui propterea etiam à Scipione Ammirato reiicitur præter alios modos, qui plus damni, quam lucri fisco afferant *lib. 3. polit. discurs. cap. 8.* Permutandæ pecuniæ mensam tantummodo vnam Byssantij elocarunt. Neque licebat alio nummo vel de altero emere vel alteri vendere quicquam: quod si quis fecisset, pecunia multabatur. Camerar. *in Oeconom. lib. 2. p. 22.*

Caput III.

DE ADEMTIONE RERUM PRIuatarum.

AD quasi collationes pertinet etiam, quando ineuitabili necessitate premente Princeps adimere cogitur bona priuatis, tanquam publica & sua.

QVod suadet salus Reip. quæ summa lex est, & vtilitas publica præferenda est priuatorum contractibus *l. 3. C. de primipil.* cui concordant *l. vn. §. pen. C. de caduc. tollend. c. suas. ibi. Nam plurimorum. quæst. 1.* Schurff. *consil. 9. num. 9. centur. 2. & consil. 60. num. 9.* Adde Ioan. Copum *quæst. 59. num. 1. & 24.* Modo tamen fiat refusio aliqua pretij. *l. 2. C. pro quib. caus. seru. præm. lib. accip.* Vtut enim Princeps omnia possidet, haud tamen possidet dominio, quod est iurisgentium & iuris ciuilis ex parte.

ex parte. *l.5. de Iust.& Iur.* §. *singulorum. Inst. de R. D.* sed imperio, vt Seneca ait, & Ligur. *lib.3.*

Quicquid habet locuples, quicquid custodit auarus,
Iure quidem nostrum est, populo concedimus vsum.

Proinde hoc licere Principi non tantum belli tempore, sed etiam ex alia causa publica asserit Arnold. Clapmar. *lib.4.c.16.& 22.* Et latius hoc ius declarat Bruckman *in tr. de regal.* §. *absoluta potestas.* Geil. *2. obseru 55.56.57.* Petr. Gregor. *lib.7.cap.10. n.49.* Hotoman. *quæst. illustr.1.* Ioan. Harprecht. *de Rer. diuis. ad rubr. num.101.* Waremund. ab Ehrenberg/ *de subsid. regn. p.136. cap.10.* Fern. Vasquius *lib.1. controuers. cap.5. n.1.* Confer Iohan. Copum *decis.59. per tot.*

Hic conferri possunt modi alij: puta quo Lacedæmonij vsi, cum Samij ab ipsis peterent, vt pecunias sibi conferrent recuperaturis patriam. Qui scitum fecerunt: Vno die debere & dominos, & familiam, & iumenta ieiunare, & quantum insumsisset, si non ieiunaretur, quisque, tantum tribueret Samiis. Ioachim. Camer. *lib.2. Oeconom. p.24.* Item: Classomenij in penuria annonæ, cum pecunia deficerentur, scitum fecerunt: Vt qui oleum haberent, commodarent hoc reip. cum fœnore. Cum igitur ita commodaretur oleum, conductis nauigiis euehendum illud in ea loca curarunt, in quibus fora exercebantur, vnde frumentum ipsis aduenit, pignore dato olei pretio. Camerar. *p.27. lib.2. Oeconom.* Ephesij tulerunt legem: Non licere, vt mulieres aurum gestarent, quicquid autem eo tempore auri haberent, id vt commodarent ciuitati. Constituta etiam argenti summa, quæ numeraretur, permiserunt: vt in templi columnis nomen eius, qui argentum illud numerasset, tanquam eius, qui illam consecrasset, perscriberetur. Selybriani in pecuniarum inopia cum lex esset, ne frumentum exportaretur famis tempore, vetere illis frumento reliquo scitum fecerunt: Tradere priuatos debere frumenta sua Reip. pretio constituto sic vt quisque sibi retineret victum vnius anni. Postea euehendi potestatem fecerunt volenti, constituto pretio, quod æquum videbatur. Mendæi in bello aduersus Olynthios, cum indigerent pecunia, & copia mancipiorum abundarent, scitum fecerunt, vt vnusquisque tantum duo retineret, marem & fœminam & reliqua venderet vniuersa, vt haberent priuati pecuniam, quam ciuitati mutuo darent. Hippias Atheniensis, qui triremis aut tribus magistri aut ludis suppeditare impensas, aut in aliud istiusmodi munus publicum sumtus facere deberent, constituta summa mediocri ex his iussit eum, qui illam pendere voluisset, inter perfunctos suo munere perscribi. Ioachim. Camerar. *in Oeconom. lib.2.* Antissæus cum pecuniæ inopia premeretur ciuitas ipsius, & morem haberent, vt Bacchanalia splendide celebrarent (quibus magnos sumtus faciebant de totius anni apparatu, cum in alia, tum victimas pretiosas) quod ille festus dies tunc instaret, persuasit eis, vt votum nuncuparent: se proximo anno reddituros Libero duplicia: & quæ parata habebant, vt venderent vniuersa simul. Atq; ita pecuniæ non modicæ ad præsentem ipsis vsum collectæ fuerunt.

Heracleotæ cum naues ablegarent quadraginta aduersus tyrannos in Bosphoro, neque pecunia abundarent, coemerunt de negotiatoribus & frumentum, & oleum, & vinum & res alias venales: atque constituto tempore, quo pretium

tium solueretur & opportunum erat negociatoribus, non ad heminam merces distrahi, sed venire simul vniuersas, & ipsi cum persoluerent per opportunitatem, non stipendia deuehebant, sed res venales in onerariis nauibus, & vnum quæstorem singulis nauibus præficiebant. Cumque iam in terram hostium ventum esset, emebant ab his omnia milites, & argentum collectum fuit, stipendiumq; dederunt ductores. Et ita accidit, vt idem argentum daretur, donec domum redierunt. Ioach. Camerar. *lib. 2. Oeconom. Arist. pag. 24.*

* * *

Finis libri septimi.

LIBER OCTAVVS

DE VECTIGALIBVS ILLICITIS.

CAPVT I.

DE VECTIGALIBVS MERETRICVM, MENdicorum, pyratarum, Astrologorum, Iudæorum; Item pro Natis, Mortuis, &c.

HACTENVS de licitis vectigalibus Ordinariis & Extraordinariis singulorum siue priuatorum: Sequitur, vt tandem etiam de illicitis quędam addamus. Illicita sunt vectigalia, quæ causa iniusta & turpi: tum quoque falsa & simulata: modoq; iniusto imponuntur personis & rebus.

VEctigalia quamuis iure diuino & humano licita esse supra demonstratum fuerit, & pateat *ex Matth.17.25.Luc.4.12.13.Rom.13.1.Petr.2. 2.Sam. 23.1. Paralip.29.* Aret.*in locis communibus cap.155.l.ex præstatione. C. de vectig.l.1. de loc. publ. fruend. l.1.si ager vectigal.de V.S.* Couarr.*in c.peccatum p.2. & §.5.n.5 de R.I in 6.* Menoch. *2.de arbitr.cas.178.* Petr.Gregor. *lib.3.c.6.* Attamen pleraque odiosa videntur.*l. quicquid. C.de vectigal.l.3.l.fin. C.nou.vectigal.cum aliis.* Boss.*in tract.de vectigal.num.10.* præsertim quæ contra consuetudinem veterem instituuntur, & plane noua sunt; quæ tamen fauor & vtilitas publica quodammodo fauorabilia reddit. Odiosissima vero sunt illicita ista, quæ ex iniusta & turpi, falsave causa & iniquo modo indicuntur. Quæ propterea in bene constituta Rep. non toleranda: quippe quod non omne, quod vtile est, honestum sit. Nec facienda mala sint, vt eueniant bona. Quicquid adulatores & parasiti Principibus obganniant, qui variis strophis aucupandi pecunias, noctuque dieque excogitandis inuigilant, siue honestę sint, nec ne: modo auaritiam Principis expleant: Quibus in ore est: Bonus odor lucri qualibet ex re, Sueton. *in Vespasian.* Horum vectigalium sordidorum & insolentium refert quædam Alex.ab Alexandr.*lib.4.genial.c.10.p.204.* Adde Arnold. Clapmar. *lib.5. de arcan.cap.15.* & Waremund.ab Ehrenberg. *c.6.de subsid.regn.* Petr. Gregor. *lib.3.cap.6. de rep.* Ioach.Camer.*in Oeconom. Arist.* Exiguntur vero ex causa iniusta & illicita personarum & rerum. Quæ personis imponuntur, ex varia causa illicita sunt: puta ex quæstu

quæſtu Meretricum. Vnde vectigal meretricum, Der Hurentribut. Sub Seuero enim Imp. meretrices & lenones vectigal ſoluerunt pro quæſtu meretricio. Arnold. Clapm. *lib.4.c.19 de arcan.rerump.* Petr. Gregor. *lib.3.cap.6.pag.95.* Quale etiam Caligula exercuit. Sueton. *cap. 40.* Quod hodie in tota Italia fere frequentatur. Danæ. *lib.2.Ethic.c.12.* Waremund. *c.4.pag.57.* Et permiſſa olim lupanaria conſtat *ex l.ancillam 27.D.de hered.petit.* Quæ in Chriſtianis rebuſpubl. mandato Dei aduerſa, non toleranda *l.7. C.de ſpectac.ibi.* [*Ne quis deinceps lenocinium exerceat, & nullus reditus inde largitionibus inferatur.*] Et *Nou.Conſtit.Iuſtin.de lenon.* Bodin. *pag.mihi 1024.* Quippe quod tale vectigal impurum, deteſtabile, Deoq; inuiſum, feriſq; barbaris improbandum & execrandum piaculum. Martin. Aſpilenet *c.17.in manual.confeſſ.* Quod merito in autores iſtius & Venereos retorquendũ eſſet, quo pacto licitum redderetur, & libidines compeſceret. Waremund. *pag.59.nu.42.c.4.de ſubſid. regn.* De Sardanapalo refert Dio: [*Habebat,* inquit, *multos exploratores, per quos inueſtigabat curioſe eos, qui ſibi ſatisfacere maxime poſſent in rebus ſpurciſſimis. Ex quibus exigebat pecuniam, ac de eo quæſtu gloriabatur, iactabatq; ſe apud ſocios eiuſdem turpitudinis, quod ſe habere plures amatores diceret, & liberorum quæſtum facere. Exegit etiam dona nuptialia ex omnibus gentibus, &c.*] Pro repudiatis quoque ſolutum fuiſſe Petr. Gregor. refert *lib.3.cap.5.*

Mendicis quoque vectigal impoſitum non minus turpe æſtimatur, quam Meretricium, Der Betlerzinß. Quale inſtituiſſe ſcribitur Veſpaſianus, qui & de diuinis & humanis rebus pecuniam corraſit. Xiphil. *lib.66.ex Dione.* Et ſimile refert P. Gregor. *lib.3.cap.6.& c.5.n.9.pag.95.ex Nicephoro.* Callix. *lib.16.hiſtor. Eccleſiaſt.c.40.& 41.42.43.& Euagrio lib.3.c.29.*

Vectigal quoque Pyraticum tale eſt, quod Principes à pyratis exigunt, quibus licentiam prædandi in mari concedunt. Waremund. ab Ehrenberg. *p.69.c.5.n.10.* Boter. *in relat.vniuerſ.p.2.lib.1.pag.16.*

Fuiſſe & vectigal dictum *βλακεννόμιον* apud Alexandrinos, quod Aſtrologi perſoluebant, ſic nominatum à ſtultitia. Quæſtus enim dicebatur ex ingenioſa ſtultitia: & Aſtrologos conſulere hominis non niſi ſtulti & temerarij, Paulo Merula referente *in Coſmograph. p.1. lib.2.cap.16.p.78.* Camerar. *in Oeconom.lib.2.p.21.* Byſſantij, inquit, vbi quæſtus faciebant præſtigiarum artifices, vates, & qui medicamenta vendebant, & huius generis alij, conſtituerant, vt tertiam partem quæſtus penderent. Aſtrologia damnata diuino & iure humano. *tto.C.de Mathemat. & Malef.vbi* Binsfeld. *late.* M. Delrius *in diſquiſit.Magic.* P. Merula poſt alios *dicto loco.*

Tale eſt etiam Iudæorum & fœneratorum vectigal, qui ob licentiam fœnerandi certum vectigal perſoluunt. Qui ne tolerandi quidem eſſent in Rep. vti deducit, Andr. Speckhan. *cent.2.quæſt.iur.*

Ex edicto Seruij parentes naſcentium nomine Lucinæ certam pecuniam dabant: qui ab adoleſcentia perueniſſent in iuuentutem, iuuentæ, morientes Libitinæ. Dion. Halycarn. *lib.4.* Habetur etiam exemplum in Ariſt. *2.Oeconom.* Nam Hippias Athenienſis refertur præcepiſſe ſacerdoti Minervæ, quæ in arce conſecrata erat, de vnoquoq; mortuo afferri hordei ſextarios duos, & totidem tritici, & obolum vnum, id eſt, duos aſſes. At tantundem ab iis, qui ſobole eſſent aucti.

Ioach. Camerar. *lib.2. Oeconom.p.23.* vulgo, Geburtgeldt/ Item Tauffgeldt. Simile refert Petr. Gregor. *lib.3. cap.5. pag.89.* de lege, quæ Manus mortua dicta, qua vnusquisque mortuus, ab Episcopi subiectione pignore iussus redimi. Ita Condalus Arist. *2. Oeconom.* pro militum decedentium deferendis corporibus drachmam vectigalem imperauit, Contra *leg.37. de relig. & sumt. fun.* Cuiac *5. obseru. vlt. & 12. obs.21.* vulgo Todtenzoll. Atq; hinc simul argentum accipiebat, simul non fallebant eum Duces indicio temporis, quo aliquis ex militibus esset mortuus. Ioach. Camerar. *in Oeconom. Aristot. p.26.*

Manumissorum quoque vectigal vicesima fuit olim, Liuius *lib.2.* Halycarnass. *lib.5.* Bodin. *lib.6. cap.2.* Petr. Gregor. *lib.3. cap.6 de R p.* Item vt sponsus & sponsa noui Ioachimicum soluant. Warem. *p.92.* Vectigal pœnale cœlibatus. Plat. *lib.6. de LL.* Cic. *3. de LL.* Petr. Gregor. *lib.3. syntagm. cap. 9. & in syntag. art. admirab. lib.40. c.11.* quod sublatum *l.1. C. de infirm. pœn. cœlib. & orb.* per rationem ex 1. *Cor.* 7. *c. nuptiæ 32. quæst.1.*

Est & illicitus modus, cum crimen pecunia, quod supplicio vltimo dignum, expiatur: Item quando pecunia hereditaria Erbgeldt viduarum & pupillorum ab auaris & sordidis magistratibus redimitur exiguo pretio. Pro vitiis quoque vectigal solutum, puta scabie, caluitie, maculis faciei, refert historiam lepidam ex Gilberto Cognato Waremund. *p.64. n.60.*

CAPVT II.

DE ILLICITO VECTIGALI RERVM, PVTA Vrinæ, Vmbræ, Niuis, &c.

REBVS quoq; futilibus & inutilibus vectigalia imposita esse constat.

PVta Vrinæ, vnde Vrinarium vectigal, quod Vespasianus exegit: Et Tito grauiter ferente, quod ex lotio aliisq; rebus capiebat, aureos ex eo vectigali quæsitos ei ostendit, dixitque, Vide fili, num oleant. Dio *in Vespas.* Vmbræ quoque & aeri. Iac. Cuiac. *10. obseruat.7. ex Plin. lib.12. nat. histor.* vbi, [*Quis non miretur,* inquit, *arborem vmbræ gratia tantum ex alieno solo petitam? Platanus hæc est iam ad Marinos vsq; prouecta, ac tributarium etiā detinens solum, vt gētes vectigal & pro vmbra pendant.*] Quod etiam notant Petr. Heig *p.2. quæst.40. n.155.* Petr. Gregor. *in syntagm.* Arnold. Clapmar. *lib.5. arcan. rerump. cap.24.* Rationem reddit Erenbergius *p.61. de subsid. regn.* Eo quod Romani voluptatem & amœnitatem rerum libenter emerunt, & in iis vsumfructum constituerunt. *arg. l. numismatum. 28. l. statuæ 41. de vsufr.* Barnab. Brisson. *lib. Antiq.* & nos *in tr. de Nummis* attigimus.

De Niue quoque vendita vectigal solutum Parlador. *lib.1. cap.3. §.2. n.14. pag.73.* Item de Tegulis singulis. Turneb. *lib.2. Aduersar. c.20.* cum quo conuenire videtur, quod in singulos lateres Romani Senatores contulerunt, Dione referente *lib.46.* & quod pro singulis fenestris iniunctum olim in Lotharingia, Ehrenberg *pag.64.*

cap.5.

cap. 5. & in Seleſia ab Epiſcopo quodam. Quin & de ſepulcris mortuorum care venditis. Hoſpinian. *de orig. cœmeter. lib.* 3. *cap.* 1. *fol.* 88. Ex triumphis, Lipſius 2. *de magnit. Romæ. c.* 8. De mancipiis venditis. Cuiac. 6. *obſeruat.* 28. Tacit. *lib.* 13. Lipſ. *ad Tacit. & lib.* 2. *cap.* 2. *de magnit. Rom.* Gœdd. *in l.* 17. *de V. S.* Regn. Sixtin. *cap.* 8. *de regal. n.* 48.

Fuit etiam vectigal Chryſargyrum ſiue χρυσάργυρον, ex auro falſificato, de quo Iuſtus Lipſius *lib.* 2. *magnit. Romæ. c.* 6. Bodin. *lib.* 6. *c.* 2. Althuſ. *p.* 93. *polit.* Petr. Gregor. *lib.* 3. *c.* 6. De Condalo Mauſoli præfecto refertur, quod arborum eminentium aut procidentium in regias vias vendidit fructus. Lycios etiam cernens capillis geſtandis delectari, literas dixit allatas regias, quibus capilli ad crines mitti iuberentur. Mandata itaque ſe habere à Mauſolo, vt illi tonderentur. Atque promiſit, ſi certam ſummam in capita contribuere vellent, ex Græcia capillos afferendos eſſe curaturum. At illis libenter præbuerunt, quod poſtulabat, collectaq; eſt de magna multitudine pecunia copioſa. Ioach. Camerar. *p.* 26. *in Oeconom. Ariſtot.*

Iniuſtum quoq; fiſci compendium prohibetur, cum bona ex naufragio reperta in littore fiſco addicuntur. Andr. Geil. *lib.* 1. *obſ.* 18. Item cum res inuentæ iudici. Landtrecht. *lib.* 2. *art.* 27. *& ibi gloſſ.* Harbrecht. *in* §. *fin. Inſtit. de* R. D. *& ibi Dd. communiter.* Ioh. Copus *in deciſ.* Couarru. *in c. peccatum p.* 3. §. 1. *n.* 2. *de* R. I. *in* 6. Coler. *in deciſ.* 149. Item res furtiuæ reſeruantur, *in quæſt. Saxon. quæſt.* 19. Fuiſſe denique exactum vectigal de Canibus, Mulis, fimo, &c. Gregor. *lib.* 3. *c.* 5. De hiſce & ſimilibus rebus dehortari videtur Chriſtus *Matth.* 23. *v.* 23. [*Væ vobis Legiſperiti & Phariſæi, Hypocritæ, qui decimatis mentham, anetum & cuminum.*] Caueant ergo Principes, ne dignitatem ſuam turpitudine vectigalium fœdent, & auguſtum ſuum nomen & munus proſtituant. Qua non ſolum iniuriam inferunt priuatis, verum etiam in ius diuinum & humanum impingentes, vindictam Dei & hominum ſibi accelerant.

Capvt III.

De falsa et simvlata cavsa vectigalium.

SOlent quoque mali Principes ſub prætextu falſas cauſas prætendere.

QVod prodigi & mali Principes in more poſitum habent, vt egentes vel inexplebiles ob auaritiam iniuſta tributa excogitent, & falſas cauſas prætendentes alienis bonis manus iniiciant. Vincent. Caſtellan. *lib.* 3. *c.* 10. *de off. reg.* Parit enim auaritia & prodigalitas tandem ſæuitiam in exigendis tributis. Nam in Imperatore auaritiam eſſe acerbiſſimum malum. Sentẽtia Aurij Caſſij. Vulcat. Gall. *pag. mihi* 62. Quibus ſceleribus plenæ hiſtoriæ. Nero locupletiſſimos occidendo, & pecunias per vim auferendo, ærarium ditauit. Dio *lib.* 60. Idem de Caio refert *lib.* 59. [*Igitur is Deus,* inquit Dio, *vt omittam cætera facinora turpiſſima, ex quibus pecuniam colligebat, cellas habuit ædificatas in palatio, in quibus vxores pueroſq; primorum ac nobiliſſimorum hominum incluſerat, ex iiſq; fructum capiebat, partim vi, partim voluntate, ne*

ei molesti esse viderentur. Quod facinus quis prætermittere potest? præsertim cum in auro argentoque ab eis collecto quotidie volutaretur.] Dio *lib. 59. cir. fin.* Ita Ant. Caracalla mercatorum facultates diripuisse, & fana spoliasse fertur: & dixisse ad matrem: Bono animo es mater, Nam nobis, quandiu iura habebimus, pecunia non deerit. Dio. Lygdamis Naxius, quibusdam in exilium actis, cum facultates illorum nemo vellet nisi admodum paruo emere, vendidit ea ipsis exulibus. Ea etiam quæ vt dona Diis consecrarentur in officinis non prorsus elaborata iacebant, vendebat tam exulibus, quam aliis, permittens vt emtionis nomen in vnoquoque perscriberetur. Camerar. refer. *in Oeconom. lib. 2.* Carthaginenses cum militum apud ipsos externorum multitudo cresceret, non habebant, vti de eis debita stipendia persoluerent. Præconium itaque factum est: Si quis ciuium incolarumve ius haberet prehendendi vel ciuitatem vel priuatum quempiam, si vellet prehendere, vt profiteretur. Profitentibus autem permultis, ita nauigia in pontum contendentia comprehendebant, probabilem aliquam causam prætendentes, tempore quidem præfinito, quo de his causam dicturos se esse affirmarent. Copia vero tunc magna pecuniæ cum extitisset, & milites illos dimiserunt, & de comprehensione disceptarunt. Et quibus comprehensione esset facta iniuria, iis de vectigalibus suis satisfaciebat ciuitas. Hodie hisce militibus non sunt absimiles, qui militant absque stipendiis, vulgo Freybeuter/ oder die sich auß dem Stegreiff nehren. Eo quod ex rapina & præda tantum viuant. Quod in Belgio frequens; an vero æquum, multi dubitant; Nisi quis dixerit priuatum malum bono publico compensari. Sæpe vero sub hoc prætextu & ciues siue incolæ, ditiores mercatores spoliantur. Condalus Mausoli præfectus, si quando iter per regionem suam facienti aliquis afferret donum ouis aut porci, aut vituli, iussit præscripto nomine eius, qui donasset & die, domum abduci, & ali, donec reuerteretur. Ac vbi tempus satis longum abiisse videbatur, repetiit quod ille aluerat, subductis fructus quoque rationibus. Ioachim. Camerar. *lib. 2. in Oeconom. Arist. pag. 26.* Aristoteles Rhodius Phocææ principatum obtinens, in pecuniarum inopia cernens duas esse Phocæensium factiones, verba vni illarum occulte fecit, indicans sibi dare alteros pecunias, vt ad ipsos rem inclinet. Sese vero ab ipsis accipere malle, & administrationem ciuitatis eis tradere. Quibus auditis statim tantum isti pecuniæ dederunt, quantum iusserat. At hic alteri factioni rursum ostendit, quæ accepisset ab alteris. Hi vero dederunt, ne ipsi quidem minus. Atque ita accepta pecunia ab vtrisque gratiam inter eos reconciliauit. Idem cum animaduerteret inter ciues multas esse controuersias, & magnas in iis propter bellum iniurias, iudicio constituto edixit. Si qui lege non egissent intra tempus præscriptum, non amplius de prioribus criminibus iudicia iis datum iri. Tunc itaque complurium causarum atque litium collationem & prouocationes multis propositis ad se referens, & ab vtrisque per diuersos aliquid accipiens, non parum pecuniæ contraxit. Ioachim. Camerar. *p. 27. in Oeconom.* Elegans & subdolum exemplum est in Dionysio Syracusio pecunias cumulare volente. Qui concione aduocata dixit, Visam sibi Cererem esse iubentem, mundum muliebrem in suum fanum deferri. Ac se hoc quidem de suarum mulierum mundo fe-

cisse.

ciſſe. Poſtulare igitur, vt idem fieret ab aliis quoque, ne Dea iraſceretur. Qui non feciſſet, eum ſacrilegij reum fore pronunciat. Cumque omnes, quæ habebant, attuliſſent, & deæ reſpectu & ipſius; re diuina facta abſtulit mundum illum tanquam commodatum ab ipſa Dea. Vbi vero temporis aliquid præteriiſſet, & mulieres idem ornatus ferrēt: Edixit, vt quæ aurum geſtare vellet, ea in templo, quod tanti eſſet, dedicaret: Ædificaturus triremes ſciebat pecunia ſibi opus eſſe. Concione igitur aduocata, Prodi quandam vrbem dixit, & ad eam rem ſibi pecunia opus eſſe. Poſtulauitque vt ſinguli ciues conferrent aureos duos. Hanc pecuniam illi contulerunt. Spacio autem interpoſito dierum duorum triumve quaſi fruſtrata res ipſum fuiſſet, collaudatis ciuibus, id reſtituit vnicuiq; quod cōtulerat. Quo facto voluntates illorum ſibi reconciliauit. Poſtea ſimili ſpe ſe eſſe recepturos rurſum contulerunt. Dionyſius autem, quod tunc acceperat retinuit ad triremium ædificationem. Idem in pecuniæ inopia poſtulauit à ciuibus, vt ſibi contribuerent. Quibus negantibus ſe habere, protulit vtenſilia ſua, & venalia, quaſi per inopiam hoc faceret, propoſuit. Hæc cum Syracuſij emerent, quid quiſque emiſſet, perſcribebatur. Perſoluto autem pretio referre ad ſe vtenſilia iuſſit, quod emiſſet, vnumquemque. Idem cum Syracuſij propter crebra tributa deſierant pecudes alere: Ibi Dionyſius ſatis ſibi collatum eſſe affirmauit ad tantum vſum, quique poſthac paraſſent pecudes, eos fore immunes. Cum multi enim multas pecudes immunitatis ſpe paraſſent, nactus opportunitatem quod quiſque haberet, æſtimari iuſſit, & impoſuit tributum ſeu penſionem. Ibi tum Syracuſij ægre ferentes ſe eſſe deceptos, pecudes iugulare & vendere. Idem, Rhegio occupato, aduocata concione, dixit: Quod diripere vrbem ipſorum iure poſſet, ſed velle ſe, ſi modo auferat impenſas factas in id bellum, & pro ſingulis capitibus tres minas, eos miſſos facere. Tunc Rhegini quicquid occultauerant, id protulerunt in conſpectum. Et cum egeni quoque pecuniam mutuo ſumerent ab opulentioribus & externis, ita illam ſummam perſoluerunt. At Dionyſius hac accepta nihilominus & omnes ſub corona vendidit, & ſupellectilem, quam occultatam protulerant, abſtulit vniuerſam. Cotys Thraciæ Rex pecuniam petebat mutuo à Perinthiis ad contrahendos milites. Eam Perinthij dare nolebant. Petiit igitur, ex ipſorum ciuibus aliquot ſaltem ad ſe mitterent, qui certis locis præſidio eſſent, vt militibus ea loca cuſtodientibus alibi vti poſſet. Id Perinthij cito fecerunt, rati illa ita loca in ſua poteſtate fore. At Cotys eos, qui ad ſe miſſi fuerant, captos detinuit, iuſſitque ad ſe mitti mutuo petitam pecuniam & ita recipere ſuos ciues. Mentor filius comprehenſo Hermia, occupatis etiam iis locis, quæ ille tenuerat, procuratores conſtitutos ab Hermia non remouit. Itaq; iam omnes ſecuros comprehendit, & quicquid habebant penes ſe, quod ante occultauerant, abſtulit. Memno Rhodius mutuo ſumſit pecuniam, quam ex vectigalibus ſeſe exoluturum promiſit. Tempore aduentante, vt vectigalia perciperentur, ſibi quoque dixit opus adhuc eſſe pecunia, ſeq; poſtea redditurum cum fœnore. Quos in exercitu etiam habebat, iis detraxit frumentum & ſtipendium dierum ſex per annum. Pollicitus iis diebus ipſos neque vigilias, neque itinera obituros,

neque

neq; reſumturos quicquam nimirum exemtis illis. Superiore tempore etiam cum metiretur frumentum militibus, ſecunda poſt nouam Lunam die, primo quidem ille menſe dies præteriit tres, ſequente vero quinque, & hoc modo proceſſit donec ad triginta perueniret.

Caligula quam plurimos occidit accuſatos de criminibus: Vere enim id fecit (ait Dio *lib. 59.*) vt eorum facultates conſequeretur. Item Caius conſumta Vrbis ac totius Italiæ pecunia, in Galliam proficiſcitur ad eam gentium fortunis vna cum Hiſpanis ſpoliandam: Ibi publicum crimen fuit, Diuitem eſſe: atq; horum poſſeſſiones cum venderet, ipſe inde multo maiorem pecuniam redegit, quod omnes cogebantur plures emere, quam res eſſet. Idem refertur de Triumuiris. Dio *47.* Æl. Lamprid. *de Commodo*: Simulabat ſe & in Africam iturum, vt ſumtum itinerarium exigeret: & exegit, eumque in conuiuia & aleam conuertit. Nero magnam pecuniam à priuatis & populis prætextu incendij, partim vi, partim de voluntate eorum exegit & populo diuiſionem frumenti ademit. Dio *lib. 60.* Mauſolus Rex Cariæ æſtate pecunias à ſubditis extorſit, prætextu quod rex alius à ſe tributum poſtularet, nec haberet, vnde diſſolueret. Ariſt. *2. Oeconom.* Puerum etiam quendam togam ſumere virilem iuſſerunt, vt quaſi iam vir eſſet, ab ipſis poſſet occidi. Dio *lib. 47. de coniurat.* Hic verum eſt, quod Apologus innuit: Quod ſæpe agnus inſimulatur, quod lupo ſupra in flumine ripæ exiſtente, aquas turbidas effecerit, & herbas, etſi dentibus careret, depauerit. Tyrannen finden leicht ein Vrſach. Frider. *lib. 2. de mandat. rubr. 3. n. 13.* Hic mihi in mentem venit, quod olim Impoſtor quidam prætendebat modum ditandi ærarij ex conceſſa licentia veſcendi carne diebus Veneris aliiſque prohibitis: vt quicunque hac licentia in Romano Imperio, vel in Italia, Gallia, &c. vti & gaudere vellet, aliquid pecuniæ magiſtratui ſolueret, qui licentiam illam concederet, & certum ſymbolum ſiue teſſeram, Ein gewiß Zeichen oder Zettel daret. Sed anne Catholicus hic redargueret, hunc modum cum poteſtate pontificis pugnare. Et credo in Germania parum ærario exinde obuenturum. Cum plerique hanc licentiam ex libertate Chriſtiana ſibi ſumant. Penes prudentiores quoque ſit cenſura de iſto modo, vt ſubditi ſuo principi certam ſummam, puta decem libras pro mille ſoluant pro damno incendij, ſi quod in ædibus forte ortum fuerit, ſuſtinendo, & ipſius principis periculo & ſumtibus reparando, quandiu is, qui pecuniam dederit hoc nomine, vixerit. Idem iudicij eſto quoque de illa perſuaſione belli imminentis, vt ſubditi omnis generis arma à principe pecunia ſoluta comparent, nec tamen illa accipiant, ſed cuſtodienda in armario relinquant, donec forte periculum & neceſſitas traditionem poſtularit. Modus quoque iniquiſſimus & iuri gentium contrarius eſt iſte, quo Rex in India Orientali vtitur, vt quam primum ſubditus & ciuis locuples moriatur Banthamij, ſiue liberis ſiue non relictis, Rex ſibi vindicet liberos, viduam & opes, & in ſuam poteſtatem redigat. Quod ſi forte Chinenſis mercator vel filios vel viduam habere deſideraret, pretio dato liceat. *Hiſtor. Orient. Ind. p. 2. cap. 35.* Nec mirum, hanc tyrannidem apud Barbaros exerceri, cum & alij populi, qui religioſi videri volunt, variis modis ſubditorum bonis ſub ſpecie Iuris inhient. Dum enim omnis generis prouentus & merces ſuis ſubditis magno pretio obtrudunt, puta fruges,

vina, boues, oues, &c. quæ multo vilius ab extraneis etiam emere possent, anne hoc est libertatem emendi & vendendi tollere & pretio iniusto cum detrimento alterius cistas suas locupletare? Vt taceam, quando genera commerciorum, puta cereuisiæ coquendæ, vini vendendi, &c. subditis conuenientia & necessaria adimuntur, quibus se suosque sustentare deberent. Notum quoq; est sophisma Charidemi Ouitæ, quod refert Camerar. *p.36.* Item Philoxeni *pag.37.* Item Euæsi Syri. Item Cleomenis Alexandrini *p.38.* Ophellæ Corinthij *pag.40.* Chabriæ *p.41.* Antimenis, Cleomenis, Stabebij *p.41.* Dionysij *p.42.* Et quis technas & strophas tyrannorum omnes enumeret, quibus in cogendis pecuniis vsi, & qui adhuc indies excogitantur. Quarum tamen quædam necessitatis tempore veniam & excusationem mereri videntur, modo ad vtilitatem publicam conferantur. Qui hodiernos desiderat vsitatos in Belgio, in Gallia, in Italia, mores istorum populorum exploret: qui partim descripti extant, inprimis *Les Finances de Royausme dy France: Le Cabinet de Roy du France.* Consulat *Thesaurum politicum Italice congestum*, vbi varios modos offendet populorum, à quibus Germani abstinent. Sed vt dixi, Morem spectandum esse regionis, & necessitatem belli pacisque tempore, quo etiam illa, quæ iniqua apparent, æqua habentur. Et meminerint insuper hic Principes boni exempli Traiani, qui abstinebat ab aliena pecunia non minus, quam ab iniquis cædibus. Quomodo autem interdum Arcanis vtendum sit ad ærarium conseruandum, alibi differetur.

Caput IV.

De Vectigalibus modo iniquo impositis.

Svnt quoque iniusta & illicita vectigalia, quamuis iusta causa innitantur, quæ modo iniquo imperantur. Siue sint vectigalia veteribus conuenientia, siue plane noua.

Nam noua, vel vetera aucta, per vim & impressionem extorta præsumuntur. Bl. *c.1. de pac. constit.* Wesenbec. *consil. 46. num. 45.* Mynsing. *centur. 5. obseru. 31.* Res non indiget exemplo. Cum ante eiusmodi non pauca attigerimus. Ad eam vero insaniam interdum Principes deuenisse, ex historiis liquet, vt etiam sine vlla causa & modo grauarint subditos. Dio ait *de Ant. Caracalla*: [*Præter cæteras exactiones, quæ erant innumerabiles, cogebamur, cum ipse Romam proficisceretur, complures domos & sumtuosa diuersoria in mediis itineribus, atque iis breuissimis ædificare nostris sumtibus, in quibus non modo non habitauit vnquam, sed magnam eorum partem non visurus erat. Præterea Amphitheatra & Circos in omnibus locis, in quibus hyemauit, aut se sperauit hyematurum, gratis extruximus, eaque diruebantur ilico, ideo id agebat, vt nos perderet.*] Recordentur hic dicti aurei: Boni pastoris esse tondere pecvs, non

DEGLVBERE. Commodus dicitur singulis diebus de pecunia gladiatorum decies sestertiûm, cum cætera Communia pariter cum reliquis gladiatoribus faceret, accepisse, Dione teste, *lib.* 47. vide *p.* 337. & 377. Addi possunt & alij modi, quos Camerarius collegit *in Oeconom. lib.* 2. *pag.* 21. Nam Cypselus Corinthius cum votum fuisset Ioui, si ciuitate illa potitus fuisset, Corinthiorum se dedicaturum facultates vniuersas: iussit censum describi: illis autem professis decimam bonorum partem abstulit à singulis, de reliquis iussit eos negociari & rem facere, annoque vertente fecit idem. Euenit itaque, vt annis decem & ipse haberet omnia bona Corinthiorum, eaque consecraret, & Corinthij interea quærerent pararentq; alia. Syluam licet illicitorum & iniquorum vectigalium in historiis animaduertere, ad quas lectorem breuitatis causa remissum velim.

* * *

Finis libri octaui.

LIBER

LIBER NONVS

DE SPONTANEIS COLLATIONIBVS, ET LEGATIONIBVS IN ÆRARIVM.

Capvt I.

Cvm Princeps vel Resp. heres *instituitur.*

HActenvs de Collationibus priuatorum, quę imperio iniunguntur, & necessario à subditis & aliis exiguntur. Sequuntur Collationes & Largitiones voluntariæ ciuium & aliorum. Conferuntur autem vel vniuersa bona & hereditas, cum Princeps vel Resp. vel Ecclesia heres instituitur testamento, &c. vel cum pars bonorum ærario deputatur liberalitatis affectu nomine legati aut donationis.

QVa collatione sane nihil honestius, nihil laudabilius censeri potest inter viuos & apud posteros. Quippe quæ Amore fit patriæ, quam omnes amare tenentur *arg. l. 2. de Iust. & Iur.* Et qua nihil antiquius habendum *arg. l. 23. de relig. & sumt. funer.* Propterea quod patria siue Rep. salua & incolumi & Bona priuatorum salua sint quoad animum, quoad corpus, quoad fortunam. Siquidem bono publico bona priuata sustentantur & promouentur. Etenim vt recte de Deo sentias, Deum recte cognitum rite colas, & finem fidei, id est, salutem animæ consequaris in hac & altera vita, vtque aliarum rerum noticiam & tui ipsius adipiscare: necesse est, Reip. referas, quæ media adipiscendi subministrauit. Vt honeste viuas, suum cuique tribuere, vt æquum, bonum ab iniquo à malo, vt licitum ab illicito, vt vtile ab inutili secernere scias, opus est reip. quæ legum præceptis rectitudinem vitæ monstrat & iudicio exequitur, si quid contra factum. Vt sane, vt tuto, vt iucunde viuas, anne munus est reip. Vt bonam famam & gloriam in vita & post vitam acquiras, certe tua virtute, & beneficio Reip. mereris, quæ virtutem & bene merita honore & dignitate remunerat. Quid ergo æquius est, quid honestius, quam veluti ἀντίδωρον quoddã Reip. reddere, ex bonis, quæ in Rep. nactus es, instituendo

vel Principem vel remp. bonorum heredem, nullis forte aliis proximioribus, vel indignis, & ingratis successoribus existentibus. Bodin. *lib.6.cap.2.de rep.* Quam causam procul dubio ICtus *in l.6.§.5.D.de excusat.* intendit, vbi diuites hortari videtur, vt [*Qui diuitiis abundent, voluntarie tribuant pecuniam in vtilitatem patriæ.*] Principem vero iure institui posse heredem, modo ne litis causa fiat, ipsa iura disponunt. Nam litis causa Imperatorem heredem institui inuidiosum est, vt ICtus ait *in l.91. de hered.instit.* nec calumniæ facultatem ex principali Maiestate capi oportet. *l.vlt. qui testam.fac.poss.§.vlt.Inst.quib.mod.testam.infirm.*

CAPVT II.

DE LEGATIS ÆRARIO RELICTIS.

DEINDE quoq; legata Principi vel Reip. aut Ecclesiæ assignari solent quam frequentissime. Quod quamuis vt plurimum in libertate testatoris situm sit: attamen lege vel statuto etiam disponi potest, vt singuli testatores Ecclesiæ & Reip. legati nomine aliquid relinquant.

CAusa legatorum ærario destinatorum est bonum & salus Reip. Principi legari posse, & iure cautum reperitur. [*Adeo vt quod principi relictum est, qui antequam dies legati cedat, ab hominibus ereptus est, ex constitutione D.Antonini successori eius debeatur.*] *l.58.de legat.2.* Si vero Augustæ legaueris, & ea inter homines esse desierit, deficit quod ei relictum est. *l.59. eod.* [*Ciuitatibus etiam legari potest, quod ad honorem ornatumque ciuitatis pertinet, puta quod ad instituendum forum, theatrum, stadium legatum sit. Quod ad munus edendum, venationemve, ludos scenicos, ludos circenses relictum fuerit, aut quod ad diuisionem singulorum ciuium vel epulum relictum fuerit. Hoc amplius quod in alimenta ætatis, puta infirmæ, seniorum, puerorum, puellarum. l.122.de legat.1. Item si quid relictum sit Ciuitatibus, omne valet, siue in distributionem, siue in opus, siue in alimenta, siue in eruditionem puerorum, siue quid aliud. l.117. de legat.1.*] Ad pias vero causas conferunt ij, qui religione mouentur, puta ad ædes & loca sacra, templa. *§.sacræ.Instit. de R.D. l.6.§.2.& 3.D.eod.l.sancimus 21.& tit.C.de SS.Eccles.* Macrob. *lib.3.Saturnal.3.* Fest. *lib.17.* Ad sepulcra & cœmeteria. *§.religiosum.Inst.eod.d.l.6.§.5.l.2.& 4.de Relig. & sumt. fun.l.4.C.de sepulcr.violat.* Cic. *Philipp.3.* Agell. *lib.4.cap.9.* Ad scholas & gymnasia, in quibus literarum studia exercentur, & vitæ hominum ad obediendum DEO, & ad parendum magistratui informantur, vt loquitur Imp. *in Auth. C.ne fil.pro patr.l.1.in fin.ib.* Br. *D.solut.matrim.* Ad loca alia pietatis & charitatis, puta Xenodochia, Nosocomia, Orphanotrophia, Gerontocomia, Brephitrophia, Ptochotrophia. *l.19.C.de SS.Eccles.l.orphanotrophos.32.C.de Episcop.& cleric.* de quibus late Tyraquell. *de priuileg.piæ causæ.* Huc quoque referendæ sunt Personæ aliæ miserabiles, Viduæ, Mendici, Opifices inualidi, &c. Idem iudicij esto de captiuis, & militibus ęgrotan-

tibus & mutilatis, qui ex ærario militari ſuſtentandi, verlämte Soldaten/ quod eiuſmodi largitionibus etiam adiuuandum eſt præter alios modos *arg. l. ad inſtructiones itinerum. 7. C. de SS. Eccleſ. c. aurum. 12. q. 2. c. vlt. in pr. ibi gloſſ. 16. q. 8. l. ſi quis pro redemtione. 36. C. de donat.* vulgo Legata zu milden Sachen. Princeps ergo ſiue Reſp. hic operam dent, vt animos diuitum, puta procerum, nobilium, patriciorum & aliorum perſuaſione vel exemplo moueant, flectant & alliciant, quibuſcunque modis id fieri poſſit, vt ſponte ad pias cauſas, & ad bonum publicum legata deſtinent. Conſultius vero cenſent quidam, vt ſtatuto vel certa lege diſponatur, vt nullius teſtamentum aut donatio cauſa mortis firma habeatur, niſi & ratio legati publici & pij habita fuerit in illo. Quemadmodum tale ſtatutum in Regia Hexapoli Zitta extat. tit. Von Teſtamenten. §. Wann aber ſonſt Teſtament gemacht werden/ darinnen Gottes Ehr vnd gemeiner Nutz vergeſſen/ die ſollen keine Krafft haben noch Macht/ ſondern vor nichtig/ krafftloß vnd vnbündig gehalten werden. Quamuis alij dubitent an tale ſtatutum Ciuitas, quæ ſuperiorem recognoſcit, contra ius commune facere poſſit. De Principe ſummo non eſt dubium, quin talem legem in ſuo territorio condere poſſit, puta forte ad Academiæ nouæ ædificationem & ſuſtentationem. Adeo vt quicunque teſtatus vel inteſtatus deceſſerit, portionem ad hanc piam cauſam relinquere teneatur, vti de exemplo Principis Sabaudiæ refertur. Portio ab inteſtato definiri poſſet pro ratione facultatum, forte de mille flor. 10. 20. 30. &c. Teſtantis autem portio committenda eſt arbitrio eiuſdem, cuius voluntas libera eſſe debet ad ſupremum vitæ ſpiritum. Opus quoq; eſt, vt publicis tabellionibus iniungatur, vt ſingula legata, vel donationes, ſuper quibus inſtrumenta confecerint, in tabulas publicas referant, vt ſtatuto in ciuitate Geneua prouiſum eſt *t. 79.* vt ne Reſp. vel Eccleſia illis defraudetur. Item vt ſacerdotes ægrotos viſitantes ipſos moneant, ne Reip. & Eccleſiæ legata poſthabeant, quod monachi & Ieſuitæ probe callent. Imo in Collegiis ſuis ſæpenumero Comœdias Tragœdiaſque exhibent, atque magnates ad ſpectandum inuitant, vt hac occaſione ſtudiis ſuis proſpicere, atque ad pias cauſas ampliſſima legata precibus impetrare valeant.

Capvt III.

De Donationibvs inter vivos & cauſa mortis.

Deniqve ad Collationes ſpontaneas referendæ ſunt quæuis aliæ donationes inter viuos & cauſa mortis, quæ ærario Reip. deputantur.

PRudenter ille Princeps cuidam ſciſcitanti, quod optimum vectigal caperet ex ciuitate: Quod populus, reſpondit, pendit potius ex honore, quam ex onere, vt notat Heinr. Farneſius *in Apophthegm. t. 24. pag. mihi 190.* Quod enim ſponte datur beneficium, vere datur. Olim Conſules Romani initio ſui conſulatus in

vsum aquæ publicæ centum libras auri donabant *l. 3. l. pen. C. de consul. lib. 12.* Et plenæ sunt donationis principum virorum illustrium & aliorum historiæ. *2. Reg. 12. 2. Chronic. 35. Marc. 12. Luc. 21. Exod. 35. 1. Chron. 23. Maccab. 13. Luc. 7. Vide Ecclesiast. histor.* Videant hic Principes & Ciuitates, vt gratia & fauore ansam præbeant ditioribus donandi ærario. Vt enim sæpe sponte largiantur: attamen & monitore etiam interdum opus est. Similis collatio est in regno Angliæ, quę BENEVOLENTIA dicitur, quam rex quidem petere quodammodo videtur, sed tamen fere omnes ad illam existunt promti, ne inuiti amore & fauore regis destitui videantur, vt notat Waremund. ab Ehrenberg. *cap. 5. de subsid. regnor. p. 69. nu. 7. ex Polydor. Virgil. lib. 24. & 26.* Exemplo Eduardi IV. qui cum amicis egit, vt sponte ad sumtus belli pecuniam erogarent, quod ipse ex ea re singulorum beneuolentiam mensurus esset, vt scilicet eum, qui plus daret, se plus diligere censeret, quod ex eodem refert Reusnerus *lib. 1. stratagemat. c. 20. p. 107.* Voluntariæ collationis exemplum illustre extat in Liuio, cuius supra mentionem fecimus, & ex Dione *lib. 46.* [*Postquam pecunia ad bellum gerendum opus esse compertum esset, Omnes suarum facultatum quintam & vicesimam partem contribuunt, Senatores vero etiam in singulos lateres, quos habebant in ædibus vrbanis non solum suis, sed etiam alienis, in quibus habitabant, quatuor obulos persoluunt. Insuper ditissimi quique separatim alia permulta conferunt. Præterea arma, cæteraque militibus necessaria, multæ ciuitates multique priuati gratis suppeditant. Tum enim ærarium exhaustum erat.*] Lepidum exemplum de Richardo Rege Anglorum refertur, qui ingentem pecuniam à collegiis mercatorum, qui Caleti potissimum negociantur, mutuo sumsit, postea exposuit Monachis Cistercienfibus, se huc coactum penuria & eorum gratia fecisse & rogare, vt tantum lanæ redderent mercatoribus, quibus precibus victi, morem regi gesserunt, vti refert ex Iouio P. Greg. *lib. 3. cap. 6. p. 104.* Ex *sacris* quoque obuia sunt exempla. [*Ita Regina Schebæ dedit regi Schelomoni centum viginti talenta auri, & aromata multa valde, ac lapides pretiosos. 1. Reg. 10. v. 10. Et 2. Chron. 9. v. 14. Omnes Reges Arabiæ & proceres eius regionis afferebant aurum & argentum Schelomoni. Item v. 23. & 24. Omnes reges terræ quærebant aspectum Schelomonis, vt audirent sapientiam eius, quam indiderat Deus animo eius. Isti quoque afferebant quisque munus suum, instrumenta argentea & instrumenta aurea, vestimentaque, arma & aromata, equos & mulos, rem annuam quotannis.*] Huc quoque pertinent spontaneæ & honorariæ collationes subditorum & vasallorum, cum Princeps matrimonium contrahit, & nuptias celebrat, puta an Hafern / Hünern / Eyern / etc. Vti in Silesia moris est.

Finis libri noni.

LIBER

LIBER DECIMVS

DE ÆRARII DISTINCTIONE.

CAPVT I.

DE PVBLICO, SACRO, CIVILI ET MILITARI, nec non priuato ærario.

HACTENVS actum est de Modis, quibus conficitur Ærarium: Sequitur vt de discrimine ærarij videamus. Quod vel Reip. & populi causa constituendum est, & Publicum dicitur: vel Principis, quod Priuatum, alias Fiscus. Vtrumque Commune, vel Sacratius. Commune est, quo pecunia colligitur ad sumtus communes & ordinarios. Sacratius vero, quo thesauri ad expensas extra ordinem emergentes reconduntur. Publicum ærarium est, quod salutis publicæ & populi causa inprimis constituitur: Vel Sacrum, quod politiæ sacræ vel administrationi Ecclesiæ & scholarum: Vel Profanum, quod vel administrationi ciuili, vel militari inseruit. Vnde hoc duplex: Ciuile & Militare. Conficiuntur vero modis ferme iisdem, nisi quod hi profano, alij magis sacro conueniant. Quod recta ratio & vsus diiudicat.

DIstinctio Ærarij desumitur à distinctione politiarum siue partium Reip. in quas dispesci solet. Quandoquidem Politia siue statu quadruplici continetur, sacro, Ciuili, militari & domestico, vulgo Der Lehr/ Regier/ Wehr vnd Nehrstandt. Vti autem quælibet politia constat Personis & Rebus: Ita quoque rerum distinctio in singulis facienda est. Publica politia desiderat Res publicas, soli & pecuniam, quæ quia triplici discrimine: Quandoquidem vel spectat administrationem Ecclesiæ, & scholarum, vel Legum & Magistratuum ciuilium, Iudiciorum, &c. vel defensionem contra vim internam & externam: Nulla vero sine vi-

ribus

ribus & neruis expediri cum queat, ideo ordine Res suæ, puta Nummi, de quibus hic agimus, etiam singulis deputandi sunt. Siquidem vnaquæque ad suas proprias & distinctas expensas tenetur. Reperias sane Resp. & Principatus, in quibus hæc æraria indistincta, imo confusa. Verum cum Politia ordine gaudeat, nec is in ærarij distinctione negligendus videtur: tum quod optime ea congerantur & expendantur, quæ ordine. Cum omne, quod ordine constat, diuini quid sapiat. Nec desunt optimæ Resp. in quibus hæc ærarij distincta ratio & cura obseruatur.

Cæterum varij modi relati sunt, quibus ærarium confici potest, è quorum tamen numero hi magis ciuili, illi magis sacro, hi magis ciuili, illi magis militari conueniunt. Prudentis & Politici hic est, Politiis & ærariis singulis accommodare eos modos, qui ex vsu cuiusq; esse videntur. Quod hic definiri ob circumstantiarum infinitam varietatem non potest. Communes sane modi videntur ærario sacro & profano, Redit⁹ publici ex pascuis, ex collationibus spontaneis. Sed quidni Princeps & vectigalia certa possit assignare ærario sacro? Ius sane vectigalium est situm in arbitrio Principis. Quod si necessitas, puta belli, pestis, famis, incendiorum, &c. vrgeat politiam sacram: nunquid non extraordinariis modis vtendum eius gratia, æque ac politiæ ciuilis & militaris causa. Imo multo magis, cum longe potior sit ratio Christi, quam ratio fisci. Viderit ergo hic Princeps, quid suæ Reip. & cuique politiæ ex æquo & bono congruat, vt ne quid detrimenti capiat. Interest enim publice cultum diuinum, & quæ ad ipsum spectant, sarta tecta esse, cum fauor animarum omnibus aliis rebus præferendus. Interest publice ciues in tranquillitate secundum Iusticiæ normam gubernari: Interest publice quoque vitam, famam, honores, bona ciuium, adeoque totam Remp. aduersus hostes defendi, & vbique obtinet axioma illud tritum: Salus populi suprema lex esto.

CAPVT II.

DE GAZOPHYLACIO SIVE ÆRARIO sacro.

SACRVM ærarium est, quod continet pecuniam ad sacros & pios vsus collectam. Cuius modus proprius videtur consistere in Eleemosynis.

VSus sacri ærarij siue Gazophylacij Deß Gotteskastens necessarius est, & fuit in quauis rep. Vbiuis enim locorum Salus inprimis animarum quærenda est vero religionis cultu, qui perficitur ministerio prædicantium Euangelium & administrantium Sacramenta, &c. Sunt quoq; vbiq; necessariæ Scholæ ad educationem & informationem Iuuentutis in studiis pietatis & honestatis, nec non cognitione aliarum scientiarum, rerum diuinarum & humanarum, quibus animus hominis restituitur, & ad sui perfectionem aliquomodo reducitur. Constat denique omnis Resp. pauperibus æque ac diuitibus, aliisque personis miserabilibus. Vnde publice interest, ærarium ex pecunia publica ad sustentationem earum in promtu

promtu haberi. Quemadmodum conſtat tale in antiquiſſima Rep. Iudæorum, autore DEO, extitiſſe. *Exod.23.2.Reg.12.2.Chron.35.&c.* & in nouo Teſtamento, *Marc.12.Luc.21.* Carol.Sigon. *de Rep.Iudæorum* erudite, & late Zepperus *in polit.ſacra, Paſtorale Lutheri pag.406.* poſt alios multos. Cyprian. Spangenberg von Allmoſen: Et in aliis bene conſtitutis Rebuſpubl. Churfürſt. Pfaltz Landes Ordnung t. Von Allmoſen. Bart. *in l. priuilegia 12. C. de SS. Eccleſ.* Ioh. Taffinus *in tr.* Von Buß vnd Beſſerung deß Lebens/ *lib.2.cap.10.* late & eleganter. Modus ærarij ſacri præter cæteros proprius videtur in Eleemoſynis, quas pij conferunt, vel ſtato tempore, vel extra ordinem, ſponte tamen. Quibus varia poteſt anſa & occaſio porrigi. Poſſunt enim colligi Eleemoſynæ ſingulis diebus dominicis feſtis Von Hauß zu Hauß In hoſpitiis publicis in Herbergen/ deßwegen Allmoß Büchſen allzeit ſollen auffgeſetzt werden/ vt peregrini pauperibus quid conferant. Item in conuiuiis ſolennibus, ſponſalium, nuptiarum, baptizatorum; Item in funeribus, Auff Verlöbnuſſen/ Hochzeiten/ Kindtauffen/ Leichbegengnuß. Adde & alios modos, quibus ſacrum ærarium ditari poteſt, ex pecunia pro pulſu campanarum Glockengeldt/ ex pretio ſedium in templis, Stuelgeldt/ Item pro ſepulcris in cœmeteriis publicis, aut in templis. Ita quilibet conferre tenetur pro virili ad ſacra & cultum diuinum, *Exod. 34. in pr.* Vide etiam exemplum *2. Chronic.24.v.9.* vbi collecta in arcam iniecta. De Primitiis & Decimis ſpontaneiſq; collationibus vide illuſtre exemplum *2. Chron. 31.v.4. & ſeqq.* [*Ioſias recipit pecuniam inferendam in domum* DEI, *quam collegerant è manu Menaſchitarum & Ephraymitarum, 2.Chron.34.v.8.& ſeqq. Item Aſa retulit res conſecratas à patre ſuo & res conſecratas à ſe in domum* DEI, *argentum & aurum & inſtrumenta. 2 Chron.15.v.18.*] Quicquid enim ſemel ad diuinos cultus & honores deſtinatum eſt, idem licet ante ad idolomaniam & ſuperſtitionem adhibitum, multo magis ad illum verum vſum pietatis ſeruari & cuſtodiri debet. Contra; [*Aſcendens Schiſchak rex Ægypti Ieruſchalaima: accepit theſauros domus Iehouæ, & theſauros domus regis, omnia (inquam) illa accepit: etiam ſcuta aurea, quæ fecerat Schelomo.*] Collationis ſpontaneæ exemplum etiam eſt *cap.1.& 2.Eſdr.* Regis & conſiliariorum, *Eſr.7.v.15.* Item *Nehem.3.& 7.v.70.* Huc referendæ ſunt Decimæ. Thom. Campeg. *de Annat. q. 3.nu.15.* Item aliæ reſeruationes in beneficiis Eccleſiaſticis, inprimis quæ Annata dicitur ab annua penſione. Campeg. *tract. de reſeruat. benef. à Rom. pontif.* Duar. *de benef. lib.6.cap.4.* Tob. Baurmeiſt. *lib.2. de iuriſd. cap.3.num.35.* Item Indulgentiæ *c. cum ex eo §. fin. de pœn. remiſſ. c. quodcunque 24.q.1.* Bodin. *de rep. lib.1. cap.8.* Exactiones ob diplomata. Duar. *lib.1.c.6. de benef.* Nota quoque morem in quibuſdam ciuitatibus, vt emtores & venditores rerum immobilium, quamprimum conuenerint, aliquid nummorum ad pios vſus puta talerum vel groſſos aliquot pendere & in ciſtam publicam, quæ huius rei gratia in templis collocata, ſchedula in teſtimonium contractus celebrati appoſita, recondere teneantur. Vulgo Den Gottes Pfenning einlegen. Qua pecunia non illata contractus quaſi nullus cenſeatur. Porro expenſæ huius ærarij in varios vſus diſtribuuntur, puta in ſtipendia docentium & miniſtrorum verbi, in ædituos: miniſtros ſcholarum, in pauperes, in orphanos, in decrepitos & ſenes, in viduas, in infantes expoſitos, aliaſque miſerabiles perſonas: Item in ædificia templorum & ſcholarum: hoſpitalium, &c. In Bi-

M bliothe-

bliothecas. Vide Iustum Lips. *lib. sing. de Biblioth.* Fr. Patritium. *lib. 12. c. 15. de rep.* Vnde sane necessitas æque ac vtilitas huius ærarij apparet. Boter. *della ragione di stato.* Calderin. Apollin. *discurs. polit. 8.* Sed de expensis dicendi locus erit alius. Satis sit, hic generatim rationem huius ærarij indicasse; de quo Zepperus & alij latius agunt, quos adhibe.

CAPVT III.

DE ÆRARIO CIVILI.

QVOD inseruit expensis administrationis ciuilis, tempore pacis, Vulgo Rent Cammer.

QVod principaliter in omni Rep. instituendum. Desiderat enim inprimis Politia Ciuilis, quæ totius Reip. administrationem togatam complectitur, expensas innumeras in personas & res conferendas, puta in magistratus. P. Heig. *p. 2. quæst. 23. n. 2. & seqq.* & iudices & alios Officiales, in legatos, in ædificia publica, circos, theatra, palatia, pontes, vias publicas, mœnia, muros, turres, aquæductus. *l. 11. C. de oper. publ.* Iust. Lips. *lib. 2. cap. 10. 11. 12. & tot. lib. 3. de magnit. Romæ.* Fr. Patritius *lib. 12. de Rep.* Ann. Robert. *lib. 2. rer. iudicat. cap. 4.* In ludos, in spectacula publica, &c. de quibus in libro De dispensatione publicorum sumtuum. Vnde sane cuiuis obuium, quam necessarium & vtilissimum ærarij ciuilis institutum, sine quo nulla Resp. durare potest. Modi vero quibus conficitur, vniuersi & singuli hic conspirant, nimirum Reditus publici ordinarij ex agris, metallis, &c. Extraordinarij publici ex Mercatura, Opificiis, Monopoliis, tum Incidentibus & Casualibus: Præterea ex vectigalibus, collationibus spontaneis compendia, ex quibus non potest non ditari ærarium ciuile. Quod tamen non ita velim accipi, ac illi modi vniuersi in quauis Rep. adhibendi. Est enim Resp. quæ paucioribus indiget expensis; est alia, quæ pluribus & amplioribus: hæc Resp. abundat metallifodinis: altera fœcunditate terræ pollet, & alia mercaturæ occasione præstat. Vnde prudenti satis constiterit, quibus modis in hac vel illa vtendum sit Rep. Est enim longa differentia inter artem Ciuilem, quæ præceptis fere generalibus innititur: & inter prudentiam ciuilem, quæ generalia ista ad singularia, quæ infinita & varia, variantibus circumstantiis applicat & transfert ad vsum. Quo discrimine non obseruato multi errore ducuntur enormi, quasi quæuis præcepta & modi, adæque omnibus ac singulis rebuspublicis adaptari possent. Vtinam discerent verum intellectum *l. 6. l. 9. D. de Iust. & Iur.* Omnes populos vel communibus vel propriis legibus regi, & iuri naturali sæpe ius ciuile quid addere vel detrahere, &c. rectius forte & sobrius de arte & prudentia siue habitu artis iudicium ferrent. Sequitur vt de ærario militari dispiciamus.

* * *

Caput IV.

DE ÆRARIO MILITARI.

ÆRarium militare est, quod militiæ inseruit, siue politiæ militari. Krieges Cammer.

ESt enim Resp. administranda quoad religionis & Iustitiæ cultum tempore pacis: est quoq; defendenda aduersus impetus hostium intestinorum & exterorum. Quod sine Neruis, id est, sine pecunia fieri nequit. Et quia pacis tempore semper cogitandum est de bello, cogitet quoque Politicus insimul de mediis, instrumentis & neruis belli; Pecuniam dico: & optimo aliorum populorum instituto Ærario singulari ad exercitum alendum, ad munimenta extruenda, ad tormenta fundenda, vulgo ad Artiglieriam & Fortificationes colligat & conseruet. Habet enim administratio togata suos sumtus ordinarios, & interdum extraordinarios, qui bello sane præter opinionem imminenti non sufficerent. Temerarium vero est, & periculi plenum, consilium in ipso negocio & periculo capere, & in bello neruos quærere, quos ante iamdudum quæsitos & paratos esse oportet. Qua de causa considerate Plutarch. *in Cleomen.* [*Pecuniam qui primus rerum neruos esse dixit: is præcipue ad bellum respexisse videtur:*] Et Suidas & Pindarus νεῦρα τοῦ πολέμου appellat. Sunt enim Nummi præcipua actionum bellicarum organa, veluti nerui instrumenta corporis humani: sine neruis haud ambulare: nec sine nummis belligerare possumus. [*Siquidem Bella plerumque pecuniarum copia sustentantur.*] Dion. Halycarn. *lib. 6.* Et Thucyd. *lib. 2. in orat. Penel.* [*Pleræque res bellicæ consilio & pecuniarum vi conficiuntur.*] Milites sane qui habet, manus quidem eum atque crura habere, ventrem autem non habere, id est, nummos vnde alat, apposite dixit T. Quinctius Flaminius *in Philopœmene* Achæorum Ducem militibus instructum, sed pecunia destitutum, vt refert Plutarch. *in Apophthegm.* Ita apud Romanos triplex ærarium fuit: Vnum in quo ciuium tributa ac sociorum vectigalia & prædæ Impp. asseruabantur, quo sumtus bellorum Ordinariorum sustinebantur. Alterum erat Sanctius, in quo aurum vicesimarium ad vltimos casus Reip. Liuio & Cæsare teste. Tertium, in quo pecunia Gallici belli causa, quam eidem populus contulit. Appian. Alexand. *lib. 2. de bell. ciuil.* Fuit postea ab Augusto singulariter additum ærarium Militare ex nouis vectigalibus, nimirum vicesima hereditatum & legatorum, exceptis proximioribus & pauperibus heredibus & legatariis, in illud deferendis. Dio *lib. 55. p. 736.* Sueton. *in August. c. 49.* Scip. Ammirat. *lib. 1. discurs. 11.* Adde Cuiac. *ad Iul. Paul. 4. tit. 6* Plin. *in Panegyr.* Cœlium Rhodigin. *26. cap. 14.* facit *l. vlt. C. de edict. D. Hadr. toll.* ib. Menoch. *de adipisc. poss.* Teuber. *q. 15.* Cui postea adiunxit Centesimam rerum in auctione venalium nummûm. Quæ res fuisse putatur fundamentum Principatus Romani. Arnold. Clapmar. *lib. 5. de arcan. Rerump. cap. 12.* Iust. Lipsius *lib. 2. annal. p. 104.* Quam tollere Tiberius (Tacit. *lib. 1. annal.*) recusando dixit, Militare ærarium eo subsidio niti. Confer Iust. Lips. *lib. 2. admirand. pag. 54. & in Tacit. lib. 2. p. 77.* Prospiciat ergo Princeps in Rep. vt non tantum ærarium ciuile & sacrum instructum sit præsenti pecunia,

verum etiam defenſionis publicæ & belli cauſa Militare, exemplo optimi Imperatoris Auguſti. Locus eſt de eo elegans in Sueton. *d. c. 45. pag. mihi 45.* [*Quicquid autem vbique militum eſſet, ad certam ſtipendiorum præmiorumque formulam adſtrinxit, definitis pro gradu cuiuſque & temporibus militiæ & commodis miſſionum, ne aut ætate, aut inopia poſt miſſionem ſollicitari ad res nouas poſſent. Vtque perpetuo ac ſine difficultate ſumtus ad tuendos eos proſequendoſq; ſuppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis inſtituit.*] Dio vero *lib. 55.* etiam aliam cauſam præſupponit. [*Auguſtus cum ei magna pecunia opus eſſet ad alendos exercitus, dari ſibi iuſſit viceſimam partem hereditatum, legatorum ac donationum, quæ mortis cauſa fiunt, niſi ſi quæ eſſent proximis agnatis aut pauperibus hominibus relicta, idque fecit, quaſi in commentariis Cæſaris hoc genus tributi ſcriptum reperiſſet. Poſtea tamen tributum ex ædibus agriſque conferri iuſſit, neque tamen definiuit, quantum aut quem ad modum perſolui vellet: ſed aliquot homines miſit in diuerſas orbis partes, à quibus prædia priuatorum hominum, atque adeo ipſarum ciuitatum deſcriberentur, vt metu damni incommodique maioris mallent viceſimam ſoluere, id quod euenit:*] Dio *paulo inferius d. lib.* Eſt ſane ærarium militare æque ac ſacrum & ciuile mediis legitimis conſtituendum, quemadmodum eius gratia ſingularem Montem pietatis deſcriptum reperies, apud Andr. Friccium *lib. 3. de emend. Repub.* Cæterum cum modi cum illis conueniant, de quibus ſupra actum eſt, non opus eſt eius rationem pluribus hic deduci: Modi parandi pecuniam non deſunt, modo moderamine Prudentiæ & iuſtitiæ cuique ærario adhibeantur.

CAPVT V.

DE ÆRARIO PRIVATO, SIVE FISCO Principis.

IN Monarchico ſtatu vel Polyarchico, ſed monarchice adminiſtrato, ſolet & priuatum ærarium conſtitui, quod patrimonium Principis, qui ſtatui præeſt, vel qui adminiſtrat, ad ſingulares expenſas continet.

VVlgo Domanium Principis, ſiue Fiſcus. Autoribus tamen ærarium priuatum dictum. Ita enim in Auid. Caſſio Vulcat. Gallico, Senatus illum hoſtem appellauit, bonaque eius proſcripſit, quæ Antoninus in priuatum ærarium congeri noluit. Quare Senatu præcipiente in ærarium publicum ſunt relata, de quo Petr. Gregor. *lib. 3. cap. 2. de rep.* Choppinus *de doman. reg. Gall.* Adde *tract.* Peregrini *de iure fiſci,* & alios. Item *tract. Gallicum: Le Cabinet dy Roy de France.* Item *des Finances de Royauſme de France; Le miroir,* & alios.

CAPVT

CAPVT VI.

DE THESAVRIS REIP. ET PRINCIPIS.

ÆRARIVM Reip. & Principis eſt vel commune ad Ordinarias & Statas expenſas deſtinatum: vel Sanctius, quo theſauri Reip. vel Principis reconduntur & aſſeruantur ad extremos neceſſitatis caſus. Quod plerumque in loco tuto detinetur & cuſtoditur. Cuius vires etiam non niſi primoribus & paucioribus notas eſſe è Rep. videtur.

PRæter ærarium commune ad expenſas communes & ordinarias conſtituendum eſt quoq; Ærarium Sacratius Ciuile, Militare & Sacrum, vulgo Schatz/ ad neceſſitates emergentes & extremas expediens. Boter. *lib. 7. cap. 2. 3. 10. della ragione diſtato.* Apollinar. Calderin. *in diſcurſ. polit. cap. 6.* Petr. Gregor. *lib. 3. cap. 9.* vbi late diſcutit quæſtionem de collatione theſauri. P. Negelin. & alij *in opuſcul. polit.* Camerar. *p. 2. medit. 73. p. 416.* Cum enim Commune quotidie exhauriatur expenſis ordinariis, neceſſitati imminenti non poteſt conſuli, niſi expenſis extraordinariis. Variæ enim cauſæ incidere ſolent, quæ ſumtus inſolitos deſiderant, puta publicæ calamitates, peſtis, fames, bellum, commerciorum ſuſpenſio, & ſi quæ ſunt aliæ. Fruſtraneum autem & ſtolidum foret conſilium in caſu præſenti capere de impenſis congerendis: niſi iam dudum in promtu ſint. Qua de cauſa Politici prudentioribus conſuadent Principibus, vt theſauris colligendis ſtudeant, ſed non indulgeant. Satis enim eſt tantum collegiſſe, vt caſibus fortuitis & extraordinariis ſuccurrere poſſint. Quippe quod ſuſpicionem auaritiæ non effugiant, ſi contra committat: Nec poteſt fieri, quin theſauris inhiantes principes variis & iniquis artibus populum emungant. Quibus expilatis, quamuis ad tempus ærarium & theſaurus conſtent, tandem tamen deficient. Propterea quod Media, quibus bonum publicum fundatur & conſeruatur, deſierint. Riuis enim & venis aquę exiccatis, neceſſe eſt fontem tandem totum exareſcere, licet ad tempus ſaltem perdurauerit. Denique accedit & illa cauſa, quod theſauri occulti nihil fœnoris pariant, cum tamen nec publica pecunia debeat eſſe ſterilis. Eſt itaque modus in theſauris recondendis obſeruandus. Girol. Frachetta *lib. 1. de principe.* Camerar. *in medit. lib. 2. cap. 73.* Cominæus *lib. 2. de bello Neapol.* Thom. Morus *in Vtopia.* Exemplum huius ærarij apud Romanos, Liuio teſte, quod Sanctius dictum, quo aurum viceſimarium adſeruatum ad vltimos caſus: Quod Iul. Cæſar expilaſſe ſcribitur. Appian. *lib. 2. de bello Ciuili.* Lucan. *lib. 3. Pharſal.* quod & ab aliis Incenſimarium & Cimelarchion dicebatur. Et hodie apud Venetos & Gallos. Danæ. *lib. 3. cap. 3. polit. Chriſt.* Camerar. *d. meditat.* Quod æque Militare & ſacrum ac Ciuile conſtitui poteſt. Siquidem ſingula deſiderant expenſas extraordinarias neceſſitatis tempore. Ita

2.Chron.32.v.27.& ſeqq. [*Iechizkya erat diuitiarum & honoris quamplurimum: theſauroſque comparauerat ſibi ad argentum, & ad aurum, & ad lapides pretioſos, & ad aromata, & ad ſcuta, ac ad omnia inſtrumenta deſiderabilia. Apothecas quoque ad prouentum muſti ac olei: & ſtabula ad omnia iumenta & greges per ſtabula. Ciuitates etiam curauerat ſibi, & poſſeßionem gregum ac armentorum copioſe: Dederat enim ei Deus facultates multas valde.*] Vide Petr.Gregor.*lib.3.de rep.3.* Ioh.Althuſ.*p.125.* Hactenus de fundando & conſtituendo ærario publico & priuato. Sequitur vt tranſeamus ad conſetuationem eius, quæ legitima adminiſtratione & diſpenſatione expeditur: Vbi de expenſis publicis & Curatoribus diſſerendum. Præterea de incremento parando. Et quomodo exhauſtum & laborans reſtituendum & curandum ſit: De quibus ſuo loco & tempore agetur, &c.

* * *

FINIS.

Deo laus & honor in excelſis.

JAC

RER

In

I.

II.

III.

IV.

Callistr

Indiget Civitas pluri
Item his qui

Cum In

Impensis Go